Dei, aut salutem proximi, sed tantum propriam utilitatem quærunt. Hos Christus reprehendit: non autem eos, qui in bonis operibus præcipue Deum, ejusque gloriam, ut ultimum finem spectant, mercedem autem solum ut finem proximum respiciunt: qui, nempe, Deum videre cupiunt, ut tanto ardentius, & securius eum diligant. De his nos loquimur. Sanctus Thomas autem damnat amorem mercenarium illius, *qui Deum diligit propter bona temporalia*, servile enim, ac sordidum est, mercedem intueri opere ipso viliorem, & vitium est, Deum diligere, propter bona temporalia contra charitatem, quæ omnia propter Deum imperat diligenda: attamen in bonis operibus spectare mercedem eminentissimam, qualis est visio Dei, Deum ut possessum includentem; & hanc spectare, ut possit Deum in æternum glorificare: sordidum non est, sed nobile desiderium. Et in hoc sensu locuti sumus.

QUÆSTIO II.

De conditionibus requisitis ad meritum.

POST explicatum meritum Justi quoad essentiam, & comparationem ad gloriam; examinandæ sunt conditiones, quas habere debet meritum; quod in præsenti quæstione præstabimus.

DUBIUM I.

An actus meritorius debeat esse liber, & qua libertate?

§. I.

Resolutio prior.

I. SEX conditiones requiruntur, ut actus sit meritorius coram Deo vitæ æternæ. Tres ex parte actus meritorii, duæ ex parte hominis merentis; & ultima ex parte Dei præmiantis. Ex parte actus meritorii requiritur, ut sit liber, ut sit bonum, & ut fiat in obsequium, & gloriam Dei. Ex parte hominis merentis requiritur, ut sit viator, & in statu gratiæ. Ex parte Dei, ut acceptet tale opus ad præmium. In præsenti dubio agemus de prima.

II. Dico ergo primo. Ut actus sit meritorius, debet esse liber libertate indifferentiæ. Probatur primo ex Sacris Litteris. Ecclesiasticus, *cap.* 31. *v.* 10. ubi dixit: *Qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit*; continuo subjungit v. 11. *Ideo stabilita sunt bona illius in Domino, & eleemosynas illius enarrabit omnis Ecclesia Sanctorum.* Quibus significatur, eum talia meruisse, quia libere, idest, cum potuisset transgredi, non est transgressus. Item Paulus, 1. Cor. 9. vers. 17. *Si enim* (inquit) *volens hoc ago, mercedem habeo: si autem invitus, dispensatio mihi credita est.*

III. Adest etiam ratio. Primo: quia res multæ, ut Sol, Luna, campi, vineæ &c. nobis multa commoda præstant, & tamen non dicuntur de nobis proprie bene mereri; quia non libere agunt, nec possunt aliud facere, quam faciunt. —— Secundo: merito debetur merces: debitum autem non oritur, nisi ex eo, quod damus alteri, quod nostrum est, & cujus liberi, ac domini sumus: si enim alienum, vel id, cujus domini non sumus, daremus, nil nobis deberetur: sed nihil proprie nostrum est, nihil sub dominio habemus, nisi quod nostro subest arbitrio, ut possimus dare, & non dare; ergo in iis tantum meremur, quæ nostro subsunt arbitrio. —— Tertio: merito debetur laus, sicut demerito vituperium; sed laus debetur soli actui libero: in eo enim, quod ex necessitate facimus, nec laudandi, nec vituperandi sumus; ergo &c.

IV. Ex hoc infertur, quod non quæcumque libertas sufficit ad meritum, sed debet esse libertas indifferentiæ, seu a necessitate. Quare Innocentius X. hanc Jansenii propositionem, ordine tertiam, damnavit: *Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione*; Quam hæreticam pronuntiaverat S. Thom. *quæst.* 6. *de Malo art. unico*, his verbis: *Quidam posuerunt, quod voluntas hominis ex necessitate movetur ad aliquid eligendum; nec tamen ponebant, quod voluntas cogeretur ... Hæc autem opinio est hæretica, tollit enim rationem meriti, & demeriti in humanis actibus. Non enim videtur esse meritorium, vel demeritorium, quod aliquis sic ex necessitate agit, quod vitare non possit.* Et prosequitur ostendens, eam opinionem tollere laudem, & vituperium, & totam Philosophiam moralem evertere. Sed hanc quæstionem pro dignitate tractavimus *Tom. I. in* 1. & 2. agentes de Voluntario libero, *dub.* 2. quæ huc revocanda sunt.

V. Sed dices primo. Meritum dependet ex acceptatione præmiantis, ut dicemus; sed præmians acceptare potest tam actiones liberas, quam necessarias: sicut ad Martyrii palmam Deus acceptavit mortem SS. Innocentium, quam non liberam; ergo &c.

VI. Respondeo, posse quidem præmiantem acceptare actionem non liberam, none amen ad meritum; cum non sit capax, & idonea pro merito. Sic privilegio singulari acceptavit Innocentium mortem ad vitam æternam, & ad gloriam Martyrum; non tamen ad meritum, cujus, quia incapaces libertatis, incapaces erant.

XII. Si instes. Actus liber, & necessarius gaudet eadem bonitate: cur ergo si liber est capax meriti, actus necessarius capax non erit? —— Respondeo, actum liberum, & necessarium, gaudere quidem eadem bonitate physica, & objectiva, non autem morali: quia dignitas, & laudabilitas moralis in libertate indifferentiæ fundatur, ut dictum est.

VIII. Dices secundo. Christi merita fuerunt maxima: & tamen Christus non libere, sed necessario Deum diligebat, quia erat beatus.

Confirmatur. Christus stante impeccabilitate, & præcepto Patris de morte subeunda, non poterat non mori: & consequenter necessario, & non libere libertate indifferentiæ mortuus est: & tamen sua morte nobis meruit salutem; ergo &c.

IX. Respondeo ex D. Thom. 3. *parv. quæst.* 19. *art.* 3. *ad* 1. quod Christus simul viator fuit, & Comprehensor; & ideo duplex in eo erat dilectionis actus. Unus regulatus a scientia beata; & hic necessarius erat: alius regulatus a scientia infusa; & hic liber erat, & ex hujus imperio meritum Christi procedebat. Unde concludit D. Thom. *Et ideo, quia nunc non est viator, non est in statu merendi.*

X. Ad Confirmationem dico, Christum non necessario mortuum esse, sed libere. Quomodo autem hæc libertas stare potuerit cum ejus impeccabilitate, & præcepto Patris de morte, difficultas est, quæ semper torsit Theologorum ingenia, & in Tractatu de Impeccabilitate Christi discutitur. Nunc dicimus, Christum libere mortuum fuisse, quia licet non poterit non mori in sensu composito, conjungendo nimirum non mori cum existentia præcepti de morte; quia carentia mortis conjungenda cum præcepto de morte esset peccatum; poterat tamen non mori in sensu diviso, idest, carentia mortis absolute, & divisive a præcepto ponenda: quia non mori, præcisive a præcepto de morte, nullum peccatum est.

XI. Dices tertio. Satisfactio non requirit libertatem: Animæ enim in Purgatorio satisfaciunt pro peccatis præteritis, & tamen non libere: ergo neque meritum requirit libertatem.

XII. Respondeo, neg. ant. Ut enim docet Div. Thom. in 4. dist. 17. quæst. 2. art. 4. quæst. 3. ad 3. *Pœna illa, quam anima in Purgatorio sustinens, non potest proprie dici satisfactio, quia satisfactio opus meritorium requirit: sed largo modo dicitur satisfactio pœnæ debitæ solutio.*

§. II.

Posteriores resolutiones.

XIII. Dico secundo. Actus, ut sit meritorius, debet esse actus formalis, & positivus; adeo ut ad meritum non sufficiat pura omissio mali. Prob. Tum quia: meritum debet esse in obsequium præmiantis, ut dicemus: at obsequium requirit actum positivum; ergo & meritum. Tum quia: meritum debet esse voluntarium: sed pura omissio mali non est voluntaria: ergo &c.

XIV. Sed obstabis primo. Pura omissio in sententia multorum potest esse culpabilis, & demeritoria; ergo etiam potest esse meritoria.

XV. Respondeo, omisso ant. neg. cons. Plus enim requiritur ad meritum, quam ad demeritum: quia bonum est ex integra causa, malum autem ex quocumque defectu. Ita D. Thom. 2. 2. *quæst.* 78. *art.* 3. *ad* 4. Et ratio est: quia positis his tribus conditionibus, posse, teneri, & non facere, imputatur non facere, ratione actus interpretativi: hujusmodi autem non concurrunt ad puram omissionem mali.

XVI. Obstabis secundo. Declinare a malo est meritorium: sed declinare a malo est omissio mali; ergo &c.

XVII. Respondeo, declinare a malo esse meritorium, non quatenus dicit puram negationem actus; sed quatenus dicit actum voluntatis positive repudiantis malum. Si enim quis, urgente tentatione, suspenderet omnem actum etiam internum; talis suspensio non esset laudabilis, sed periculosa. Unde debet actu positivo malum reprobare.

XVIII. Obstabis tertio. Si Deus præciperet alicui, abstinere ab omni actu, omissio omnis actu erit materia obedientiæ; ergo erit meritoria.

XIX. Respondeo, tunc omissionem quidem omnis actus externi fore meritoriam; non vero omissionem omnis actus etiam interni: & hæc nec esse potest effectus obedientiæ laudabilis, cum non sit voluntaria.

XX. Obstabis quarto. Christus, etiam dum dormiebat, merebatur: & tamen tunc nihil operabatur.

XXI. Respondeo, neg. min. In Christo enim, dum dormiebat, aderat actus scientiæ infusæ, & actualis usus liberi arbitrii; unde de se dicere poterat: *Ego dormio, & cor meum vigilat* (Cant. 5. vers. 2.) quod non accidit in nobis. Verum itaque semper est, quod *mereri proprie, est facere aliquam actionem, unde aliquis juste sibi acquirit mercedem?* ut dicit S. Thom. *quæst. de Virtut. in comm. art.* 1. *ad* 2.

XXII. Dico tertio. Libertas requisita ad meritum non debet esse contrarietatis, scilicet ad bonum, & malum: sed sufficit libertas contradictionis, scilicet ad facere, & non facere, ad facere hoc, & facere illud. Patet in Christo, & in Angelis in primo instanti: quibus certe fuit meritum rigorosum, & tamen non fuit libertas contrarietatis, quia non poterant peccare. Et ratio est: quia libertas ad malum non est de essentia libertatis, sed defectus ejus.

DUBIUM II.

An actus meritorius debeat esse bonus, & in obsequium Dei.

§. I.

Resolvitur prior Pars.

I. DICO primo. Actus, ut sit meritorius, debet esse bonus, & laudabilis. Probatur. Ut actus sit meritorius, debet esse dignus præmio: sed actus moraliter malus non est dignus præmio, sed pœna, actus indifferens in individuo, vel non datur, ut supra ostendimus; vel si admittatur, non est, cur potius præmio, quam pœna dignus sit; ergo &c.

Confirmatur. Meritum præmii supernaturalis, de quo hic loquimur, debet actu respicere Deum, ut ultimum finem: sed actus, qui non est moraliter bonus, cum sit peccatum, actu non respicit Deum, ut ultimum finem. Nam, vel est peccatum mortale; & sic positive deordinat a Deo ultimo fine. Vel est veniale: & sic, esto non deordinet a Deo ultimo fine, ad illum tamen actu non refertur: unde non potest esse capax meriti, & præmii, sed pœnæ.

II. Dices primo. Peccans venialiter, si in gratia sit, adhuc ordinatur ad vitam æternam; ergo actus venialiter peccaminosus, & non bonus, est meritorius vitæ æternæ.

III. Respondeo, peccantem venialiter ordinari habitu ad vitam æternam, ratione aliorum actuum bonorum, quæ fecit: non autem ratione actus peccaminosi etiam venialiter. Nam hic esto non excludat ab homine existente in gratia meritum personale vitæ æternæ, ratione aliorum actuum bonorum, quæ fecit; sua tamen malitia impedit, ne per ipsum homo actualiter ad vitam æternam ordinetur, & per illum actu mereatur.

IV. Dices secundo. Recitatio divini Officii cum evagatione mentis est mala; sed hæc potest esse meritoria: si enim quis ex amore Dei incipiens recitare officium, in progressu evagetur mente: talis evagatio, ex vi illius primæ intentionis, est meritoria præmii supernaturalis.

V. Respondeo, dis. maj. Cum evagatione mentis est mala, si sit voluntaria, conc. majorem, si sit involuntaria, nego maj. Voluntaria ergo evagatio mentis in recitatione divini Officii mala est, neque subditur primæ illi intentioni recitandi illud ex amore Dei; sed potius interrumpit influxum actus charitatis præcedentis: ideoque non est meritoria præmii supernaturalis. Ita S. Th. 2. 2. *q.* 83. *a.* 13. *ad* 3. dicens: *Si quis ex proposito in oratione mente evagetur, hoc peccatum est, & impedit orationis fructum .... Evagatio vero mentis, quæ fit præter propositum, orationis fructum non tollit.*

§. II.

Resolvitur Pars posterior.

VI. DICO secundo. Actus meritorius præmii supernaturalis debet fieri in obsequium Dei. Probatur. Meritum enim cum respiciat retributionem ab eo, qui præmium redditurus est, debet ad illum dirigi, & ordinari, & in ejus gratiam fieri: opus enim, quod ad præmiantem non dirigitur, quomodo potest ab illo exigere retributionem? Sed opera nostra meritoria respiciunt retributionem reddendam a Deo; ergo debent dirigi, & fieri in obsequium Dei: alias lamentaretur juste, ut olim per prophetam, Isaiæ 29. v. 13. *Populus iste ore suo, & labiis suis glorificat me, cor autem ejus longe est a me.*

VII. Nec dicas primo. In humanis potest quis detestari corde præmiantem, sicque opus suum non facere in obsequium ejus; & tamen apud præmiantem mereri; ergo similiter &c.

VIII. Respondeo enim, neg. conseq. homo enim non penetrat cor, nec respicit ad intentionem operantis, sed ad ipsum opus: unde si opus ex se, vel exterius tendat ad utilitatem præmiantis, esti intentio alio ipsum dirigat, homo fit debitor retributioni. Non sic autem apud Deum, qui cum penetret cor, & ad eum respiciat, non sufficit, ut ei opus exhibeatur: nisi etiam exhibeatur intentio, ut scilicet opus sincero corde propter Deum summe dilectum fiat.

IX. Nec dicas secundo. Homo existens in gratia, & faciens actum spei supernaturalis, meretur præmium supernaturale: sed in exercitio talis actus attendit, non ad Deum, sed propriam utilitatem, quia spes respicit bonum divinum, ut bonum nostrum; ergo &c.

X. Nam respondeo, dist. min. Ut bonum nostrum in ratione objecti, seu finis proximi, conced. minor. In ratione finis ultimi, neg. min. Homo enim existens in gratia respicit Deum, ut ultimum finem suarum actionum: sicque dum exercet actum spei tendentem in propriam utilitatem in obsequium Dei refundit.

XI. Sed dices tertio. Ut actus fiat in obsequium Dei, requiritur influxus charitatis, sed ad meritum, in probabili sententia, non requiritur influxus charitatis; ergo &c.

XII. Respondeo, quod, ut infra dicemus, ad meritum esto non requiratur influxus actualis charitatis, virtualis tamen requiritur. —— Admista tamen, pro casu præsenti, opinione non requirente ad meritum influxum nec virtualem charitatis dico, requirere saltem habitualem: quatenus persona habitualiter Deo grata omne opus bonum, quod facit, censetur facere in obsequium Dei, & esse opus Deo gratum, & coram ipso meritorium.

DUBIUM III.

An ad meritum requiratur status viæ, & status gratiæ?

§. I.

Resolvitur prima Pars.

I. DICO primo. Ad meritum requiritur, ex parte personæ merentis, status viatoris. Aperte colligitur ex Scripturis; dicitur enim Ecclesiastæ 9. v. 5. *mortui vero nihil noverunt amplius, nec habent ultra mercedem.* Ubi Hieronymus ait: *Mortui nihil valent ad ih adjicere, quod semel secum tulerunt de vita, neque expectant aliquam retributionem, atque mercedem*: ultra eam scilicet, quam dum viverent, meruerunt. Et ibidem c. 11. v. 3. *Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit.* Quibus, per casum ligni, mors hominis designatur. Et per ly *ibi erit* indicatur, meritum, vel demeritum hominis in alia vita nec augeri posse, nec minui. Unde Paulus, *ad Galat.* 6. *v.* 10. sic inferebat: *Ergo, dum tempus habemus, operamur bonum ad omnes.* Et Christus, *Jo.* 9. *v.* 4. de seipso dicebat: *Me oportet operari opera ejus, qui misit me, donec dies est. Venit nox, quando nemo potest operari.* Ubi per diem tempus præsentis vitæ; per noctem vero statum post mortem Christum indicare voluisse, omnes intelligunt. Quare S. Th. 2. 2. *q.* 13. *a.* 4. ad 2. *Mereri* (inquit) *& demereri pertinent ad statum viæ. Unde bona in viatoribus sunt meritoria, mala vero demeritoria. In Beatis autem bona non sunt meritoria, sed pertinentia ad eorum beatitudinis præmium: & similiter mala in damnatis non sunt demeritoria, sed pertinentia ad damnationis pœnam.*

II. Ratio quoque consonat. Tum quia meritum dicit viam, & tendentiam ad præmium, tamquam ad terminum; ergo meritum proprium est eorum, qui sunt in statu viæ. Tum quia ad divinam providentiam pertinuit, stabilire tempora pro merito, & pro præmio. Cum igitur non possit esse tempus alterius vitæ; sequitur, quod solum tempus hujus vitæ destinari debuit ad merendum præmium; maxime quia meritum ex natura rei antecedit præmium, & hæc vita antecedit, altera subsequitur.

III. Sed obstare videtur, quod animæ Justorum in Purgatorio, imo & in Patria, aliquid merentur, saltem de congruo; sive nobis, dum pro nobis orando multa impetrant: sive sibi merendo augmentum suæ beatitudinis, saltem de congruo.

IV. In hac materia sunt qui concedant animabus purgantibus, imo & Beatis aliquod meritum saltem de congruo, respectu aliorum; illudque solum negant, ad merendam sibi beatitudinem essentialem. Sunt etiam, qui dicant, Beatos, non quidem actu beatifico, sed aliis actibus liberis, & bonis posse sibi mereri augmentum beatitudinis, saltem accidentalis. —— Probabilius tamen censeo, negandum esse extra statum viæ positis omne meritum etiam de congruo.

Quare distinguendum censeo meritum etiam de congruo a simplici impetratione (quod indicat S. Thom. hac *q.* 114. *a.* 6. *ad* 3.) quod simplex impetratio unice fundatur in pietate, & misericordia concedentis: hæc enim ratione etiam oratio peccatoris potest esse impetratoria: unde multo magis impetratoriæ esse poterunt orationes animarum, vel Purgantium, vel Beatorum, absque eo, quod meritoriæ adhuc de congruo sint in se ipsis. Ut enim superius dicebamus ex D. Th. 2. 2. *q.* 13. *a.* 4. *ad* 3. bona, quæ Deus concedit Beatis sive ipsis, sive pro aliis, pro quibus orant, sunt præmium beatitudinis ipsorum respondens meritis, quæ habuerunt in via; non meritis, quæ addant, dum sunt in Patria. Nam ut docet S. Th. in 3. dist. 18. *q.* 1. *a.* 2. *ad* 2. Beati *non sunt in statu acquirendi secundum aliquid sui: & ideo nec sibi, nec aliis merentur: quia quod impetrant modo nobis, contingit ex hoc, quod prius, dum viverent, meruerunt; ut hoc impetrarent*; quod confirmat de Angelis beatis 1. *p. q.* 62. *a.* 7. *ad* 3. Ubi postquam dixit, gaudium eorum de conversione peccatoris pertinere ad præmium accidentale, quod augeri potest usque ad diem judicii, subjungit: *Unde quidam dicunt, quod quantum ad præmium accidentale mereri possunt. Sed melius est, ut dicatur, quod nullo modo aliquis Beatus mereri potest, nisi sit simul viator, & Comprehensor: ut Christus, qui solus fuit viator, & Comprehensor. Prædictum enim gaudium magis acquirunt ex virtute beatitudinis, quam illud mereantur.*

§. II.

Resolvitur secunda Pars.

V. DICO secundo. Ad meritum coram Deo requiritur, quod persona merens sit in gratia justificante. Hoc supponit Tridentinum, *Sess.* 6. *c.* 16. & *Can.* 32. ubi agit de merito hominis justificati per gratiam: & colligit ex illo Joan. 15. v. 4. *Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite: sic nec vos, nisi in me manseritis.* Quæ verba, *c.* 16. citato, sic exponit: *Cum enim ille ipse Christus Jesus tamquam caput in membra, & tamquam vitis in palmites; in ipsos justificatos jugiter virtutem influat, qua virtus bona eorum opera semper antecedit, & comitatur, & subsequitur: & sine qua nullo pacto Deo grata, & meritoria esse posset &c.* Ex quibus dico sic: opera hominis non possunt esse Deo grata, & meritoria, nisi ex influxu Christi, ex quo unice nostra opera habent valorem meriti vitæ æternæ; ergo

ergo sicut palmes non potest ferre fructum vitis, nisi cum vite continuetur, & ab ea recipiat influxum: ita homo non facere fructum, nimirum, opus pertinens ad vitam æternam, nisi conjungatur cum Christo, & ab eo virtutem, & influxum participet per gratiam, quæ est semen vitæ æternæ. Et sicut terra sine semine non facit fructum, sic nec homo sine gratia, quæ est semen Dei ad vitam æternam, non potest facere fructum ad vitam æternam pertinens.

VI. Hanc veritatem docet S. Thom. hac *q.* 114. *a.* 2. & ostendit, hominem sine gratia non posse mereri vitam æternam, nec positum in statu naturæ integræ: Quia *vita æterna est quoddam bonum excedens proportionem naturæ creatæ: quia etiam excedit cognitionem, & desiderium, secundum illud* 1. *ad Cor.* 2. Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. *Et inde est, quod nulla natura creata est sufficiens principium actus meritorii vitæ æternæ, nisi superaddatur aliquod supernaturale donum, quod gratia dicitur.*

Nec si ponatur homo, ut modo est, in statu naturæ corruptæ. Nam, præter allatam, adest secunda ratio propter impedimentum peccati. Cum enim homo sine gratia in statu naturæ corruptæ sit homo in statu peccati, & offensus Deo: & nullus in statu peccati existens, & offensus Deo possit apud Deum mereri vitam æternam, nisi prius reconcilietur Deo, dimisso peccato, quod fit per gratiam; peccatori enim non debetur vita, sed mors, secundum illud Rom. 6. *Stipendia peccati mors*; ideo &c.

VII. Nec enim, ut opus sit meritorium vitæ æternæ, satis est, ut fiat ex vera obedientia legis, esto non fiat a persona elevata ad statum gratiæ, & adoptionis Dei; ut falso existimavit Michael Bajus, cujus propositio XIII. erat: *Opera bona, a filiis adoptionis facta, non accipiunt rationem meriti ex eo, quod fiunt per Spiritum adoptionis inhabitantem corda fidelium Dei: sed tantum ex eo, quod sunt conformia legi, quodque per ea præstatur obedientia legi.* Et XV. *Rationem meriti non consistere in eo, quod qui bene operatur, habeat gratiam: & inhabitantem Spiritum Sanctum: sed in eo solum, quod obedit divinæ legi.* Quas propositiones, inter alias multas, juste damnarunt S. Pius V. & Gregorius XIII.

VIII. Harum, inquam, damnationem propositionum justam fuisse, colligitur: Primo ex Scriptura, quæ passim vocat gloriam hæreditatem filiorum, Rom. 8. v. 15. *Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba, pater.* Et v. 17. *Si autem filii, & hæredes.* Spiritum autem adoptionis non accipimus, nec filii Dei sumus, nisi per gratiam. Tum quia, eadem Scriptura testatur, meritum ita fundari in gratia, & amicitia Dei; ut si quis peccando mortaliter amittat gratiam, & amicitiam Dei, statim amittat omnia bona merita, quæ fecerat, Ezechiel. 18. v. 24. *Si autem averterit se justus a justitia sua, & fecerit iniquitatem... omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur*; atqui si merita non penderent a statu, & qualitate personæ, sed a sola obedientia legi, non deberet is, qui Deum offendit, amittere bona merita, per obedientiam legi antea facta. Sicut qui laboravit in vinea alicujus certa mercede conductus, non perdit mercedem suam, si forte inimicus fiat Domino vineæ: quia meritum illius, non in gratia, & amicitia Domini, sed in solo labore, & opere fundatur; ergo &c. hoc autem esse falsum, evincitur, quia Scriptura semper promittit vitam æternam diligentibus Deum.

XI. Colligitur secundo. Nam si merita non penderent a statu, & dignitate personæ, sed solum ab ipso opere, seu obedientia legis; certe merita Christi non essent infiniti pretii, imo nec majoris valoris, quam merita cæterorum hominum: ubi enim solum spectatur opus, nil interest, an ille, qui operatur, sit Rex, aut miles, sit nobilis, vel plebejus, probus, vel improbus. At certum est, merita Christi ratione dignitatis personæ fuisse dignitatis infinitæ, aut saltem majoris, quam merita cujusvis puri hominis; ergo &c.

X. Colligitur tertio. Si ratio meriti vitæ æternæ unice pensaretur ex opere facto in obedientiam legi, non ex spiritu adoptionis; posset quis nondum regeneratus per gratiam, obediens tamen legi. & ex tali obedientia facere aliquod opus meritorium vitæ æternæ; ergo etiam posset facere opus meritorium de condigno gratiæ justificantis; quia qui potest mereri gloriam, quæ est gratia consummata, multo magis potest mereri gratiam, quæ est gloria solum inchoata. Hoc autem esse falsum, colligitur ex Tridentino, *Sess.* 6. *cap.* 8. & nos infra ostendemus, gratiam justificationis non cadere sub merito; ergo &c.

§. III.

Rejiciuntur quæ militant contra Secundam Assertionem.

XI. Objicies primo. Opus malum ex sua natura meretur pœnam; ergo opus bonum ex sua natura meretur præmium, etsi non procedat ab homine existente in gratia.

XII. Respondeo, neg. conf. Facilius est enim homini peccare, quam bene agere. Ad peccandum enim sufficit libertas arbitrii: ad bonum autem opus præsertim conducens ad vitam æternam, quæ excedit omnem proportionem naturæ, requiritur supernaturale donum; &, in homine corrupto per peccatum, requiritur ulterius, ut reconcilietur Deo per gratiam, ut ex D. Th. dicebamus. Rursus: ut peccato debeatur pœna, nulla conventio, aut promissio necessaria est: qui enim alterum lædit, justitiam violat, & tenetur ex justitia satisfacere, nullo præsupposito facto. At ut bono operi debeatur merces ex justitia, præsertim vitæ æternæ, promissio, vel conventio necessaria est. Non enim tenetur Deus, hominis obsequium acceptare, ut dicemus, nisi accedente ejus benigna promissione illud acceptandi: Deus autem vitæ æternæ mercedem non promisit, nisi regeneratis per Christi gratiam, ut passim Scriptura testatur.

XIII. Sed replicabis. Scriptura promittit etiam vitam æternam obedientiæ legi, Matth. 19. v. 17. *Si autem vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Non dixit: si vis ad vitam ingredi, cura, ut accipias gratiam. Rursus: Petrus, *Act.* 10. *v.* 34. & Paulus, *Rom.* 2. *v.* 11. docent, Deum non esse acceptorem personarum, sed gloriam, & honorem tribuere omni operanti bonum: esset autem acceptor personarum, si attenderet potius ad qualitatem personæ, quam operis.

XIV. Respondeo ad primum, verum esse, quod vita æterna promittitur servanti totam legem, sed amore justitiæ, non timore pœnæ. *Non enim* (inquit August. l. de Spirit. & lit. c. 14.) *fructus est bonus, qui de charitatis radice non surgit. Porro autem si adsit fides, quæ per dilectionem operatur, incipit condelectari legi Dei secundum interiorem hominem: quæ delectatio non litteræ, sed spiritus donum est.* Non ergo quis potest servare mandata, nisi Deum diligat, & proximum; in his enim pendet tota lex: hoc autem sine gratia regenerante fieri non posse, supra ostendimus. Alioquin si ad servanda mandata, ut oportet ad vitam, non requiritur gratia; nec requiritur fides, cum Christus ibi hoc non dixerit.

Ad secundum, neg. min. Acceptor enim personarum ille est, qui attendit ad qualitatem personæ nihil conferentem ad meritum. Cum vero quod persona habeat spiritum adoptionis, & habeat fidem, quæ per dilectionem operatur, sit qualitas conducens ad meritum: immo tota ratio meriti vitæ æternæ, ad quam Deus attendit, in conferendo præmium, non erit proinde acceptor personarum. Si enim lex sit, ut soli filii nobilium currant ad bravium a Rege propositum; non erit personarum acceptor judex, si præter celeritatem cursus, nobilitatem currentis ita consideret, ut qui ea carent, excludat a præmio tamquam incapaces. Sic cum vita æterna sit bravium promissum solis Justis, & filiis adoptionis per gratiam; non accipit Deus personas, cum in eis qualitatem justitiæ, & adoptionis attendit, acciperet quidem, si consideraret alias, quæ ad meritum nihil conferunt; puta, an qui bene operantur sint Græci, vel Judæi, liberi, vel servi, masculi, vel fœminæ. Et in hoc sensu loquebantur Apostoli.

XV. Objicies secundo. Non plus requiritur ad hoc ut opera sint meritoria ipsi operanti, quam ut sint meritoria aliis: sed ut suffragia facta pro mortuis, sint pro illis meritoria, non requiritur, quod homo ea faciens sit in gratia; ergo &c.

XVI. Respondeo cum D. Th. in 4. *dist.* 45. *q.* 2. *a.* 1. *q.* 3. & refertur in Supplem. 3. *p. q.* 71. *a.* 3. dist. min. Ut sint meritoria, prout sunt ejus, non requiritur &c. nego min. Prout sunt alterius, conc. min. *In suffragiis* (inquit S. D.) *quæ per malos fiunt, duo possunt considerari. Primo ipsum opus operatum; sicut sacrificium altaris. Et quia nostra sacramenta ex seipsis efficaciam habent, absque opere operantis, quam æqualiter explent, per quoscumque fiant; quantum ad hoc suffragia per malos facta defunctis prosunt. Alio modo quantum ad opus operantis. Et sic distinguendum est. Quia operatio peccatoris suffragia facientis, potest uno modo considerari, prout est ejus: & sic nullo modo potest esse meritoria, nec sibi, nec alii. Alio modo, in quantum est alterius: Quod dupliciter contingit. Uno modo, in quantum peccator suffragia faciens gerit personam totius Ecclesiæ, sicut sacerdos, dum dicit in Ecclesia exequias mortuorum. Et quia ille intelligitur facere, cujus nomine, vel vice fit, ut patet per Dionysium l. de Cælest. Hierarch.* cap. 13. *inde est, quod suffragia talis sacerdotis, quamvis sit peccator, defunctis prosunt. Alio modo, quando agit ut instrumentum alterius, opus enim instrumenti est magis principalis agentis. Unde quamvis ille, qui agit ut instrumentum alterius, non sit in statu merendi; actio tamen ejus potest esse meritoria ratione principalis agentis: sicut si servus in peccato existens quodcumque opus misericordiæ facit ex præcepto domini sui charitatem habentis. Unde si quis in charitate decedens præcipiat, sibi suffragia fieri, vel alius præcipiat charitatem habens, illa suffragia valent defuncto, quamvis illi, per quos fiunt, in peccato existant: magis tamen valerent, si essent in charitate; quia tunc ex duabus partibus opera illa meritoria essent.* Hæc S. Th.

D U B I U M IV.

An Meritum Spectet ad Charitatem, & quomodo ad illud debeat Charitas influere;

§. I.

Resolvitur Prima Pars.

I. Dubium istud hic ponitur tamquam appendix Dubii præcedentis. Cum enim ad meritum requiratur gratia, cujus indivisa comes est charitas, per quam proxime operatur; ideo recte quæritur: an charitas concurrat ad meritum, an elicitive, an imperative.

II. Dico ergo primo. Meritum non est determinate actus alicujus virtutis: sed principaliter pertinet ad charitatem, secundario vero ad alias virtutes; ut imperantur a charitate. Tres habet partes hoc Assertum. Prima prob. Meritum non est determinate actus fidei, vel spei, vel pœnitentiæ: nam in Christo fuit verum meritum, in quo tamen non fuit fides, nec spes, nec pœnitentia. Non est actus justitiæ, religionis, pietatis, aut alterius a charitate. Tum quia: actus istarum possunt esse sine merito, immo compati cum demerito. Tum quia: per actus harum virtutum, etiam sine gratia; & charitate, posset esse meritum vitæ æternæ, contra Apostolum 1. Cor. cap. 13. v. 3. *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil prodest.*

III. Sed dices. Satisfactio est quoddam meritum veniæ, & reconciliationis, quia tendit ad ipsam obtinendam: at satisfactio, quæ fit Deo pro offensa, est actus specialis virtutis, nempe justitiæ; ergo &c.

Rursus: meritum æqualitatem dicit, & est ad alterum: cum nemo mereatur ad se, sicut nemo satisfacit sibi; ergo est actus justitiæ, sicut est satisfactio.

IV. Respondeo, nego maj. Est enim differentia inter meritum, & satisfactionem, quod satisfactio tendit ad faciendam æqualitatem, & ad inducendam amicitiam: unde non est meritoria veniæ, sed potius activa veniæ, vel formaliter, vel dispositive. Meritum autem supponere debet æqualitatem, reconciliationem, & amicitiam cum Deo, per satisfactionem jam inductam.

Ad secundum dico pariter, meritum non tendere ad faciendam æqualitatem cum Deo; sed ea per satisfactionem supposita, sicut & gratia, & charitate, tendere per actus, & objecta omnium virtutum ad operandum in obsequium Dei præmiantis. Quamvis autem inter meritum, & præmium requiratur æqualitas proportionis; hæc non respicitur a merente, sed potius ab eo, qui præmium reddit: qui reddendo præmium, actum justitiæ exercet, ut dictum est.

V. Secunda pars Asserti expresse traditur a S. Thoma hac *q.* 114. *art.* 4. cujus ratio est sub hac forma. Ad eam virtutem principaliter spectat meritum, cujus actus est, ordinare hominem ad Deum, quo fruimur, propter seipsum, & cujus est, omnia in obsequium Dei, & propter Deum facere: cum meritum sit motus humani arbitrii in divinum bonum, quo fruemur in vita æterna, propter seipsum: sed hujusmodi motus, seu tendentia in Deum, propter seipsum, seu ut summum bonum, est actus proprius charitatis; licet enim etiam fides, & spes ferantur in Deum, & faciant nos inhærere Deo, attamen, ut docet S. Thom. 2. 2. *q.* 17. *art.* 6. sola *Charitas facit Deo inhærere; propter seipsum, mentem hominis uniens Deo per affectum amoris. Spes autem, & fides faciunt hominem inhærere Deo, sicut cuidam principio, ex quo aliqua nobis proveniunt. De Deo autem provenit nobis & cognitio veritatis* (& hoc modo fides facit, nos inhærere Deo, ut primo principio cognoscendi veritatem) *& adeptio perfectæ bonitatis* (& hoc modo spes facit nos inhærere Deo, quatenus *per spem divino auxilio innitimur ad beatitudinem obtinendam*).

VI. Tertia vero pars traditur etiam a D. Thom. hac *quæst.* 114. *art.* 4. citato his verbis: *Motus autem humanæ mentis ad fruitionem divini boni est proprius actus charitatis; per quem omnes actus aliarum virtutum ordinantur in hunc finem, secundum quod aliæ virtutes imperantur a charitate. Et ideo meritum vitæ æternæ primo pertinet ad charitatem; ad alias autem; ad alias autem virtutes secundario, secundum quod earum actus a charitate imperantur*: idest, secundum quod charitas efficit, ut cæteræ virtutes eliciant actus suos ex amore Dei, & propter Deum, & in obsequium Dei, ut summi boni. Sic fortitudo ex specie sua eligit tolerare mortem, propter bonum fortitudinis. Si autem adveniat imperium charitatis, jam eligit tolerare mortem propter Deum, ut summum bonum, sicque elicit actum martyrii. —— Addo: quod Scriptura meritum gloriæ tribuit specialiter actibus earum virtutum, quæ charitatem involvunt: ut Matth. 25. v. 34. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis Regnum ... Esurivi enim, & dedistis mihi manducare &c.* Ubi ly *mihi* indicat actum misericordiæ erga pauperes, factum ex amore erga Deum, esse meritum ad Regnum. Et Paulus meritum tribuit actibus beneficentiæ & pacis, *Hebr.* 13. & 16. dicens: *Beneficentiæ, & communionis nolite oblivisci: talibus enim hostiis promeretur Deus.*

VII. Rationem autem meriti secundario esse in actibus aliarum virtutum, ut imperatis tamen a charitate, ostenditur. Nam si soli charitati tribueretur meritum, non vero cæteris virtutibus, ut ejus imperium includenribus; jam non existente formaliter actu charitatis, non existeret formaliter actus meritorius: hoc autem falsum esse, infra ostendemus. Ut enim actus formaliter sit meritorius, sufficit, ut actus charitatis virtualiter existat, esto non formaliter; ex hoc enim ipso, quod cæteræ virtutes charitati conjunguntur, & ab ea moventur, elevantur ad meritum: quia inferiora ex conjunctione ad superiora elevantur ad perfectionem, quam ex seipsis habere non possent. Sicut cogitativa conjuncta rationi, aliquomodo conferre, & discurrere potest, quod ex seipsa non posset.

VIII. Addo: quod si meritum in sola charitate consisteret, jam non esset majoris meriti cum æquali charitate dare omnes facultates in eleemosynam pauperibus, etsi maximas; quam dare unum tantum obolum; & pati martyrium, quam pati levissimam persecutionem; quod tamen non est dicendum.

IX. Neque dicas, præmium essentiale vitæ æternæ respondere soli charitati, Joann. 14. v. 21. *Qui autem diligit me.... & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum*; ergo soli charitati respondet meritum —— Nam solum evincit, charitati respondere præmium, & meritum principaliter, & ut imperanti; non vero ut unice elicienti meritorium actum. Unde Christus citato loco exponens, quid sit ipsum diligere: prius dicit: *Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est, qui diligit me.*

§. II.

Ex Dictis Aliqua inferuntur.

X. Infertur primo. Opera moralia virtutum acquisitarum, etsi facta ab homine justo, & existente in gratia, si tamen non fiant ex imperio charitatis, sed ex motivo, & auxilio mere naturali, non esse meritoria de condigno vitæ æternæ. Ratio est. Quia opera moralia procedentia a virtute acquisita, & auxilio naturali sunt pure naturalia, & improportionata prorsus cum præmio supernaturali, qualis est vita æterna.

XI. Neque dici potest, ejusmodi opera accipere dignitatem ordinis supernaturalis ex persona gratia sanctificante ornata: adeo ut dignitas personæ sanctæ, absque ullo charitatis imperio, refundat in ea opera valorem, & æqualitatem proportionis cum vita æterna, sicut dignitas Personæ divinæ refundebat dignitatem in opera Christi.

XII. Nam sola coexistentia habitus in subjecto non dignificat operationem, nisi interveniat influxus voluntatis illud applicantis ad usum, juxta illum: *Habitibus utimur, cum volumus*; ergo nisi accedat influxus voluntatis utentis habitu charitatis ad tale opus, & facientis, ut gratia sanctificans influat in illud, non dignificabitur, ut proportionem habeat cum vita æterna.

Neque valet exemplum Personæ divinæ. Nam hæc utpote substantialiter infinite digna communicabat suam dignitatem operibus Christi supernaturalibus, per modum formæ, & necessario; quid scilicet erant operationes Personæ substantialiter infinite dignæ. At persona creata dignitatem supernaturalem non habet, nisi ratione gratiæ, quæ est habitus accidentaliter ipsi inhærens: & quia habitus non influunt necessario, sed solum ex voluntatis imperio: ideo dignitas personæ in gratia constitutæ non refunditur in operationes, nisi accedat imperium, vel ordinatio charitatis.

XIII. Infertur secundo. Neque actus virtutum theologicarum, etsi intrinsece supernaturales, esse meritorios de condigno vitæ æternæ, per solam coexistentiam gratiæ habitualis; nisi accedat influxus, & imperium charitatis, quo fiant in obsequium Dei summi boni supernaturalis.

Hoc indicavit Paulus, dum ad *Coloss.* 3. *v.* 17. postquam ad omnia pietatis opera eos fuerat adhortatus, concludit: *Omne, quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi.* Et *ad Gal.* 5. *v.* 6. dicit, quod nihil valet, nisi *fides, quæ per dilectionem operatur.* Ratio autem theologica est. Quia fides, & spes ex propria specie, ut superius dicebamus, esto respiciant immediate Deum in ratione objecti, sive nobis dicentis, sive auxiliantis: nisi tamen accedit imperium charitatis, earum actus referentis, non respiciunt Deum, ut summum bonum in se, & ut ultimum finem in ordine supernaturali; quod requiritur, ut actus sit meritorius vitæ æternæ.

§. III.

Quale sit imperium Charitatis ad Meritum Requisitum.

XIV. Triplex potest distingui imperium, seu ordinatio actuum aliarum virtutum in finem, & objectum charitatis. Prima habitualis, quæ revera in se actu non est; sed solum habitu in subjecto operante, & actum solummodo materialiter comitatur. Secunda actualis, quæ scilicet actum expresse ordinat in Deum; de quo homo actu cogitat, & facit actum virtutis propter illum. Tertia virtualis, quia scilicet esto homo de Deo actu non cogitet, & proinde exprese non ordinet actum ad ipsum: attamen actus virtutis, quem facit, ordinatur in Deum virtute præcedentis actus, quo decrevit, omnia sua referre in Deum; qui actus virtualiter manet, & participatur in actibus subsequentibus. His stantibus.

XV. Dico secundo. Ad meritum non sufficit ordinatio, seu imperium habituale charitatis. Constat ex dictis §. antecedente. Ordinatio enim pure habitualis charitatis in Deum dicit puram coexistentiam, & concomitantiam habitus charitatis in subjecto operante, absque ullo influxu, sive actuali, sive virtuali in actum: sed, ut vidimus, sola concomitantia habitus charitatis non sufficit ad faciendum opus meritorium; ergo &c. Hinc puto a Sancto Pio V. & Gregorio XIII. damnatam fuisse propositionem 15. Baii, *Dub. præcedente relat.* §. 2. *n.* 7. quæ dicebat: *Rationem meriti consistere in eo, quod qui bene operatur, habeat gratiam, & inhabitantem Spiritum Sanctum, sed in eo solum, quod obedit divinæ legi.* Putabat enim Bajus, rationem meriti non requirere influxum, sed solam concomitantiam gratiæ, & habitus charitatis in operante.

XVI. Confirmo hanc veritatem a pari. Nam infidelitas, vel status peccati mortalis concomitans bona opera non vitiat illa, neque facit esse demeritoria; nisi aliquomodo ea referat ad finem malum: unde non omnia opera Infidelium, & peccatorum esse peccata, superius ostendimus contra Jansenium, & Bajum; ergo neque status gratiæ, & charitatis habitualis mere concomitans omnia opera bona dignificabit & faciet meritoria vitæ æternæ.

XVII. Dico tertio. Ad meritum non requiritur actualis ordinatio charitatis. Et ratio est. —— Primo: quia ut actus, vel medium ordinetur in finem ex influxu finis, non requiritur actualis intentio finis, sed sufficit virtualis. Causa enim non solum quando actualiter existit in se, sed etiam quando

manet

manet in aliquo a se relicto censetur influere. —— Secundo: quia, cum impossibile sit moraliter, hominem, quando bene operatur, semper cogitare de Deo; & actu intendere finem charitatis, homo vix unquam meritorie operaretur. —— Tertio denique: quia, ut quis apud humanum Regem mereatur, non est necesse, ut semper actu intendat obsequium illius; ergo neque, ut quis mereatur apud Deum. Quod constat etiam in confessione Sacramentorum, & recitatione divini Officii.

XVIII. Ex his sequitur, requiri, & sufficere ad actu merendum, ordinationem virtualem charitatis. Verum quia ordinatio virtualis charitatis duplex esse potest: una proxima; & est quando virtute alicujus intentionis proxime, & immediate præcedentis actus ordinatur in Deum: alia solum remota, quando scilicet intentio remote præcessit, vel in principio vitæ, vel justificationis: ideo Dubium est: an ad actu merendum requiratur imperium, & ordinatio charitatis immediate, vel saltem proxime præcedentis: an vero sufficiat remota, & generalis, etsi longo tempore præcesserit; dummodo tamen per peccatum mortale non fuerit interrupta.

XIX. Dico quarto. Quamvis non sit improbabile, ad meritum de condigno vitæ æternæ sufficere ordinationem charitatis ex aliquo antiquo actu charitatis relictam, quoties per peccatum mortale non fuerit retractata: unde si quis in actu suæ justificationis proponat, se velle omnia sua in Deum, ut ultimum finem, referre; omnia opera bona, quæ fecit, quamdiu manet in gratia, censentur meritoria vitæ æternæ, quia in omnibus illis ordinatio illa perseverat: tutius tamen, & forte probabilius censeo, quod, ut actus sequentes censeantur virtualiter a charitate procedere, & consequenter esse meritoria, non sufficere, ut ordinationem charitatis quomodocumque, etiam remote, consequantur; sed requiri, ut aliquam connexionem mediatam, vel immediatam cum primo illo actu charitatis habeant: ita ut primus actus sequens immediate cum actu charitatis connectatur; ac cæteri inter se.

XX. Hoc declaro exemplo. Si quis statuat ire Romam, censetur hunc finem intendere; & in ipsum omnes actus suos referre, eos nempe, qui ad illum finem conducunt. Unde quando conducit currum, parat sarcinas, & alia itineri inservientia &c. in istis actibus virtualiter manet illa prima intentio. Si vero aliquid aliud agat cum ea non connexum, puta comedere, bibere &c. non censetur, hos actus ex intentione eundi Romam facere. Quia ergo non omnes actus etiam virtuosi hominis justi, hanc connexionem habent cum illo primo actu, quo in principio vitæ, aut justificationis se, & omnia sua retulit in Deum: ideo ille primus actus non sufficit ad imprimendam virtualem ordinationem in Deum in omnibus actibus subsequentibus. Addo: quod si in omnibus istis perseveraret primus actus charitatis virtualiter; jam homo justus toto tempore, quo existit in gratia, in omni suo opere bono censeretur, Deum diligere, nec teneretur, expressum actum dilectionis facere. Quod tamen damnatum est ab Innocentio XI. 2. *Martii 1679. Propos.* 5. quæ talis erat: *An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita elicuerit, condemnare non audemus.* Prop. 6. *Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquennii, per se obligare præceptum charitatis erga Deum.* Et Prop. 7. *Tunc solum obligat, quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, qua justificari possimus.*

XXI. Præterea a pari. Quamvis enim Idololatra habuerit actum, quo se, & omnia sua statuit in suum Idolum referre; non sequitur; quod omnes actus sequentes, etiam post longum tempus, sint ab illo actu imperati, & consequenter demeritorii, & peccata: alias omnia opera Infidelium essent peccata; ergo neque in homine justo intentio formalis habita referendi omnia in Deum, imperabit omnes actus sequentes. Dicendum ergo tutius videtur; quod sicut intentio formalis recitandi Officium, & conficiendi Sacramentum facta, puta in principio mensis, non sufficit ad recitandum Officium, & Sacramentum conficiendum in fine mensis; sed requiritur intentio non multum distans a recitatione &c: ita, ut quis censeatur, omnia opera sua in Deum virtualiter referre, non sufficit intentio longe distans. Quare tutissimum consilium est, hanc intentionem initio, vel cujusque diei, vel negotii repetere.

XXI. Scio adversæ opinionis Patronos pro se afferre S. Th. qui in 2. *sent. dist.* 28. *q.* 1. *art.* 1. *ad* 4. ad hoc, ut actio aliqua virtualiter referatur in Deum ex charitate, dicit: *Oportet, quod prius fuerit cogitatio de fine, quæ est charitas, vel Deus, & quod ratio actiones sequentes in hunc finem ordinaverit: ita quod rectitudo illius ordinationis in actionibus sequentibus salvetur, ut patet in exemplo, quod Avicenna ponit de artifice: quod si dum opus suum exerceret, semper de regula artis cogitaret, multum in opere impediretur; sed sicut prius excogitavit per regulas artis, ita postmodum operatur, & sic in opere ejus rectitudo artis salvatur.*

XXIII. Sed S. Doctor præfatis verbis non aliud intendit, quod, *ut alicujus actionis finis sit Deus, vel charitas, non oportet, quod agendo illam actionem, aliquis de Deo, vel charitate cogitet: nec iterum sufficit, quod aliquis in habitu tantum Deum, vel charitatem habeat; quia sic etiam actum venialis peccati aliquis in Deum ordinaret, quod falsum est.* Post quæ verba subjungit ea, quæ a Contrariis allata sunt. Solum igitur S. Thom. intendit ad hoc, ut opus charitate ordinetur in Deum, non requiri ordinationem actualem, habitualem non sufficere, sed satis esse virtualem, qua prior ordinatio censetur manere adhuc in opere sequenti: sed non determinat, quod maneat semper, & in quolibet bono opere, quousque homo manet in gratia, etiamsi longo tempore præcesserit, nec fuerit iterata. Immo locum timori relinquit, ne quotidianis, & venialibus peccatis, quibus subest homo in hac vita, illa prior ordinatio sensim adeo languescat; ut nisi iteretur, de virtuali transeat in habitualem tantum, quæ certe non sufficit.

DUBIUM V.

An ad Meritum Hominis coram Deo requiratur Divina Ordinatio, Promissio & Pactum?

§. I.

Resolutio Dubii.

I. Dico. Communior, & omnino probabilior sententia est, requiri pactum, & promissionem mercedis, ad hoc, ut Justorum opera veram, ac proprie dictam habeant rationem meriti de condigno: non sic tamen, quasi illa opera valorem, & dignitatem suam habeant ex hujusmodi pacto; sed quoniam ultra dignitatem, quam totam ex gratia habent, necessarium sit pactum seu promissio de reddenda mercede, ut illi, qui ex gratia sunt bene operati, jus habeant ad vitam æternam, tamquam ad mercedem eorumque opera sint stricte talis vitæ meritoria. Assertio ita explicata duas habet partes.

II. Prima, quod divinum pactum, seu promissio prærequiratur, ut operibus Justorum respondeat vita æterna, tamquam merces merito, videtur certa. Quia meritum obligat præmiantem ad reddendum præmium: Deus autem, ut sæpe diximus cum S. Th. hac q. 14. art. 1. ad 3. *non efficitur simpliciter debitor nobis, sed sibi ipsi, in quantum debitum est, ut sua ordinatio impleatur*: quod dixerat in corpore ejusdem art.

III. Prob. etiam primo ex Parabola, *Matth.* 20. ubi Pater familias, qui Deum significat, conventionem fecisse legitur cum operariis. Et ex Jacobi c. 1. v. 12. *Beatus vir, qui sustinet tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.* Quibus conformiter Paulus, *Hebr.* 6. v. 12. eos hortatur, ut sint imitatores eorum, *qui fide, & patientia hæreditabunt promissiones.* Et c. 6. v. 36. *Ut voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem.* Idem exprimunt alia Scripturæ loca, quibus vita æterna promittitur mandata servantibus: modo corona justitiæ a Deo Justo Judice reddenda, ut 2. *Timoth.* 4. non etiam debetur corona justitiæ, nisi fuerit promissa. Quapropter Trid. *Sess.* 6. *cap.* 16. ait: *Bene operantibus, usque in finem, & in Deo sperantibus proponenda est vita æterna; & tamquam gratia filiis Dei per Christum Jesum misericorditer promissa; & tamquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus, & meritis fideliter reddenda.* Ubi duplicem promissionem cognoscit: unam de danda gloria ut gratia per Jesum Christum: alteram de ea reddenda, ut mercede pro meritis. Hæc tamen secunda includitur in prima.

IV. Probatur secundo. Si bona Justorum opera ex natura sua, & non ex vi alicujus promissionis, esent apud Deum meritoria de condigno vitæ æternæ, Christus non meruisset nobis vitam æternam directe, sed solum indirecte, quatenus gratiam, & in ea perseverantiam solum promeruit: certum est autem, quod Christus non minus directe meruit nobis gloriam, quam gratiam; ut per se patet, & ex Trid. *Sess.* 6. *Can.* 26. Assumptum prob. Quia si verum foret, quod opera ex natura, & condignitate ipsorum, absque pacto, vel promissione, quæ propter Christi merita facta sit, gloriam mereantur; jam gloria, seclusо Christi merito quoad respectum illius, nihilominus reddenda esset propter naturam, & qualitatem operum, supposita gratia ea faciendi per ipsum obtenta.

V. Probatur tertio. Cum opera sint pluribus titulis Deo debita, nempe, creationis, conservationis, redemptionis &c. sequitur, quod per nihil possumus ipsum obligare, nisi velit: quod velit, non aliter scimus, quam quia mercedem pro illis promisit. Hinc fit, quod opera sancta animarum degentium in Purgatorio, & actus liberi Beatorum in charitate perfecti, nisi apud Deum merentur; quia licet interno valore non careant, ea tamen ad præmium Deus non ordinavit: & merita Christi non merentur de facto Incarnationem æterni Patris, vel salutem Dæmonum, quia ad hæc ordinata non fuerunt.

VI. Confirmantur dicta. Si quis alienum agrum colat, vel alteri obsequium præstet, nullo prorsus interveniente pacto, vel promissione mercedis, alter non tenetur ex justitia mercedem ei dare; ac per consequens ipsam non est ex condigno meritus: præsertim si poneretur, quod iste operarius totum, quod fecit, aliquo alio titulo facere debuerit: quodque tum instrumenta, tum vires essent in proprietate, & dominio alterius; ergo similiter quamvis Justi opera bona faciant, & quidem talia, quod secundum quod fiunt per gratiam, habent condignitatem ad vitam æternam: si tamen nullum præcesserit pactum, aut promissio mercedis, Deus non tenebitur eis dare præmium vitæ æternæ, quia aliis titulis ei debita, & vires, quibus facta sunt, in ejus proprietate, ejusque dona existunt.

VII. Secunda vero pars Asserti nempe, quod ejusmodi opera, supposito divino pacto, & promissione, habeant intrinsecam condignitatem cum gloria, videtur certa. Nam promissio & ordinatio Dei, esto fit quid necessario præsuppositum, non est tamen ratio formalis constituens opera illa in ratione meritorii, & dans illis condignitatem ad gloriam, sed

sed hanc supponuntur habere a gratia sanctificante, quæ est ejusdem ordinis, & perfectionis cum gloria, eamque per modum seminis, seu radicis continet, juxta illud Pauli, Rom. 6. v. 23. *Gratia Dei vita æterna.* Præterea: si extrinseca Dei ordinatio esset ratio constitutiva meriti de condigno, jam actus virtutum acquisitarum ordinis naturalis, immo & actus indifferentes in individuo (quos Scotus in hoc contrarius admittit) possent esse merita vere & proprie de condigno beatitudinis supernaturalis eodem modo, quo actus supernaturales: posset enim Deus tales actus, pro sua libertate, ordinare ad beatitudinem supernaturalem, eamque promittere tales actus elicientibus: quo posito, illi actus evaderent vere meritorii vitæ æternæ, cum posita ratione formali constitutiva meriti, haberur meritum. Hoc autem magis videtur absurdum, quam si diceretur, quod si Rex promitteret filiam suam Regni hæredem ei, qui primo colligeret paleam; rusticus eam primo colligens, filiam Regis, & Regnum ipsum de condigno mereretur: major enim est improportio inter opus naturale, & vitam æternam, quam inter actum quemcumque vilissimum, & filiæ Regis, Regnique ipsius possessionem.

VIII. Hinc infero, ordinationem Dei extrinsecam in pacto, vel promissione sitam, neque ingredi rationem meriti, ut complementum illius; sed ad illud sufficere ordinationem Dei intrinsecam, inclusam in voluntate dandi gratiam, ut principium merendi: eo enim ipso, quod Deus vult dare gratiam, ut principium merendi vitam æternam, ordinat opera procedentia ab illa, ut merita, ad vitam æternam, ut mercedem, & constituit se debitorem gloriæ, ut mercedis. Sicut enim Deus dicitur ordinare res naturales ad suos fines naturales, conferendo illis virtutes activas, quibus possint tales fines consequi: ita naturam rationalem ordinat ad merendum de condigno fidem supernaturalem vitæ æternæ, conferendo illi virtutem, & principia operandi ad talem finem. Ita S. Th. hac *q.* 114. *art.* 1. videndus.

§. II.

Solutio Objectionum.

IX. Objiciunt primo contra primam partem Asserti. Valor, seu condignitas operis sufficit ad merendum præmium: sed præcisa promissione Dei, opera Justorum habent valorem, & condignitatem ad vitam æternam, ex quo sunt ex gratia; ergo &c.

X. Respondeo, majorem esse veram, si illa condignitas operum non sit debita præmianti aliis titulis; secus vero, si sit debita; ut in casu. Cum enim ea posset exigere, ut sibi debita pluribus aliis titulis, ut ostensum est; ideo, ut determinate sint meritoria præmii, requiritur Dei ordinatio conferentis gratiam, ut principium merendi.

XI. Objiciunt secundo contra eamdem. Peccata mortalia non egent ordinatione divina, ut sint meritoria pœnæ æternæ, quia ex seipsis afferunt indignitatem; ergo a pari nec opera Justorum a gratia procedentia, quia ex se ipsis bona, & condignitatem habant, egebunt ordinatione divina, ut sint meritoria vitæ æternæ.

XII. Resp. neg. consf. Qui enim peccat, ex jure constituit se debitorem luendi pœnam; quia peccata ex natura sua sine ullo judicis auxilio, vel ordinatione digna sunt pœna. Justus autem faciens bona opera ex gratia, non facit se creditorem vitæ æternæ; quia licet ex natura sua proportionem habeant cum re, quæ est vita æterna; quia tamen aliis titulis Deo debita, non proportionantur cum illa, ut meritum cum præmio, nisi ex Dei voluntate ordinantis illa, tamquam meritum, ad gloriam, ut præmium. Ubi noto, hanc propositionem: *Sicut opus malum ex natura sua est mortis æternæ meritorium: sic bonum opus ex natura sua est vitæ æternæ meritorium*, esse secundum ex damnatis in Bajo a S. Pio V. & Gregorio XIII.

XIII. Dices. Opus esse meritorium est, illud esse condignum ad mercedem: sed, ut diximus, pactum, & promissio non facit, opus esse condignum ad vitam æternam; ergo ad meritum non requiritur pactum &c.

XIV. Respondeo, neg. maj. Nam mereri proprie, ut docet S. Th. *Q. de Virtutibus in communi art.* 1. *ad* 2. est facere aliquam actionem, unde aliquis sibi juste acquirat mercedem: potest autem actio habere proportionem, immo & condignitatem ad id, quod vocatur merces, etiamsi is, qui actionem illam facit, non acquirat sibi juste illam mercedem: veluti si illa actio fuerit aliis titulis debita, vel non fuerit conductus, neque ulla mercedis promissio præcesserit.

XV. Objiciunt tertio contra eamdem. Eo ipso, quod Dominus præcipiat servo laborare in vinea, immo etsi non præcipiat, approbet tamen ejus laborem, censetur, servus mereri juste mercedem; ergo eo ipso, quod præceperit Deus homini justo facere opera condigna vitæ æternæ, & iste faciat, censetur &c.

XVI. Respondeo, distinguendo antec. Vel enim Dominus vineæ dirigit præceptum ad eos, qui non sunt servi, nec tenentur in vinea ejus laborare; & sic nec Dominus vocans eos ad laborem, implicite paciscitur de mercede, & ex justitia tenetur eam reddere. Vel dirigit præceptum ad servum; & sic non tenetur ei reddere stipendium pro labore, etiamsi illum approbet (fecit enim, quod debuit) quoniam & servus, & servi opera sunt Domini. Cum ergo omnes simus servi Dei, & ei tamquam Domino omnia opera debeamus; si solum præciperet, ut in vinea ejus laboraremus, & neque pactum, promissionem, & legem faceret de reddenda mercede; nec ipse teneretur eam reddere, nec opera justorum eam de condigno mererentur.

XVII. Objectiones contra secundam partem omitto. Ex enim vel probant, ad actu merendum vitam æternam, requiri pactum, ordinationem, &c, si velis, etiam promissionem Dei: quod libenter concedimus: dummodo non dicantur requiri, ut rationem, sive adæquatam, sive inadæquatam constitutivam operis in ratione meritorii; sed solum, ut determinationem illorum operum, quæ ex quo sunt a gratia, condignitatem habent ad merendum, ut de facto mereantur, & acceptentur ad tale præmium, & non ob alium titulum; & hanc ordinationem nil aliud esse, quam voluntatem Dei conferendi gratiam, ut principium merendi vitam æternam, ut dictum est.

QUÆSTIO III.

De his, quæ cadunt sub Merito.

Præter vitam æternam, quam hactenus vidimus, cadere sub merito de condigno, alia sunt, de quibus dubitari potest. Nempe: an homo possit mereri primam gratiam auxiliantem, vel primam gratiam justificantem, & hoc tam sibi, quam aliis; augmentum gratiæ, separationem post lapsum, perseverantiam finalem &c. de quibus omnibus in præsenti quæstione sermo erit.

DUBIUM VIII.

An Homo possit mereri Primum Gratiam sive Auxiliantem, sive Justificantem sibi, vel aliis?

§. I.

Resolvitur de Gratia Actuali.

I. Dico primo. Nullus homo potest sive de condigno, sive de congruo sibi mereri primam gratiam auxiliantem. Procedit hæc Assertio de prima gratia actuali, quæ aliam non supponit. Hoc fuse tractavimus in 1. *part.* contra Pelagium, & in *hac* 1. 2. *Tr. de necessitate gratiæ* contra eumdem. Alioquin sequeretur, gratiam secundum merita nostra dari; & merita quidem solis naturæ, & arbitrii viribus facta: quod in horrore habuerunt Concilia Milevitanum, Palæstinum, & Arausicanum II. Immo in Palæstino Pelagius ipse ejuravit, ne a Judicibus damnaretur, ut testatur S. Augustinus passim.

II. Ratio autem est. Quia omnia opera, quæ primam gratiam actualem præcedunt, sunt opera mere naturalia, & fiunt ab homine in statu peccati mortalis: sed opera mere naturalia nullam habent adæquationem, vel æqualitatem, etiam proportionis, cum prima gratia actuali, quæ est ordinis supernaturalis; ergo eam mereri non possunt de condigno. Rursus: homo in statu peccati mortalis non est in statu apto ad meritum, ut vidimus; ergo &c.

III. Quod vero nec de congruo possit homo primam gratiam actualem mereri, certum est etiam de fide, contra Semipelagianos; qui, ut alibi diximus, Pelagianam hæresim aliqualiter temperare volentes, asserebant, nos quidem non posse sine gratia præveniente aliqua opera bona facere: dicebant tamen, ex parte nostra initia quædam fidei, & bonæ voluntatis procedere, quorum intuitu movebatur Deus ad dandam primam gratiam actualem, puta vocationis ad fidem: ac subinde aliquod meritum, saltem de congruo, respectu primæ gratiæ admittebant. Hic autem error in variis Conciliis, & tandem a Tridentino excussus fuit, *Sess.* 6. *c.* 5. docente: *Exordium in adultis a Dei per Jesum Christum præveniente gratia sumendum esse; hoc est, ab ejus vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis vocantur.* Ubi ly *nullis* omne meritum, etiam de congruo excludit; quod convenit cum dicto Apostoli Ephes. 1. vers. 11. *In quo etiam & nos sorte vocati sumus, prædestinati secundum propositum ejus, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis ejus.* Quæ omnia merita, & etiam congruitates excludunt: qui enim sorte vocatur, & eligitur, & secundum propositum, omnem præventionem excludit, ut acute observat D. Th. ibi *Lect.* 4. sed de his, & de Pelagianorum, ac Semipelagianorum ratiunculis fuse actum est citatis locis.

§. II.

Resolvitur de Prima Gratia Justificante.

IV. Dico secundo. Gratiam primo justificantem sibi nullus mereri potest de condigno. Colligitur ex illo Rom. 3. v. 24. *Justificati gratis per gratiam ipsius*: & ad Titum 3. v. 5. *Non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus Sancti.* Ex quibus patet, quod justificatio sit omnino gratuita. Et licet per actus fidei, spei, pœnitentiæ homo se se disponat ad justificationis gratiam; eam tamen illis actibus de condigno non meretur: quia opera quidem illa proficiscuntur a Spiritu Sancto movente, at non a Spiritu Sancto inhabitante, ut docet Tridentinum, *Sess.* 14. *c.* 4. ac proinde non sunt opera filii, & amici Dei, sed tantum aspirantis ad filiationem, & amicitiam Dei: atque ita illis deest dignitas operantis.

V. Ratio autem Theologica est. Quia, quod est principium meriti, non potest cadere sub merito, & esse effectus meriti; alias supponeret se ipsum, antequam esset: sed gratia justificans est principium totius meriti de condigno; ergo &c. —— Rursus: non potest homo de condigno mereri, nisi sit

Deo

Deo gratus, ipsique amicus, sed actus præcedentes justificationem non sunt actus hominis Deo grati, & amici: quia homo fit Deo gratus, & amicus per gratiam habitualem, ut fuse ostendimus.

VI. Sed dices primo. Si dicamus, hominem per dispositiones supernaturales mereri de condigno gratiam justificantem, non convenimus cum Pelagio, qui asserebat, eam nos promereri solis naturæ viribus: nec contradicimus Paulo, qui negat quidem, justificationem fieri ex operibus naturalibus legis, sed non operibus fidei, quia sunt opera ad justificationem disponentia.

VII. Respondeo, nos ita loquendo non incidere quidem in errorem Pelagii, sed in alium ab Ecclesia damnatum, præcipue in Trid. *Sess. 6. cap.* 8. dicente: *Gratis autem justificari, ideo dicimur, quia nihil eorum, quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera ipsam justificationis gratiam promeretur*. Ex quo fit, ut etiam resistamus Apostolo; qui dum dicit, nos justificari gratis, excludit omne meritum de condigno præcedens justificationem: fides autem, quæ eam præcedit, est fides non adhuc formata, seu quæ per dilectionem operatur.

VIII. Dices secundo. Saltem contritioni nihil deficit, ut sit meritoria de condigno gratiæ justificantis: ei enim est annexa gratia justificans, adest quoque pactum, & promissio de ea homini contrito conferenda, Zach. 1. v. 3. *Convertimini ad me. .. & convertar ad vos*.

IX. Respondeo, neg. antec. Contritio enim est connexa cum gratia justificante, sicut ultima dispositio cum forma, non sicut meritum cum præmio. Ei enim deficit conditio ad rationem meriti de condigno, quod, nempe, fit ab homine grato, & habeat condignitatem personæ: quia procedit, vel a puro auxilio supernaturali, ut diximus: vel si a gratia habituali, ut aliqui volunt, ab ea tamen procedit sub munere auxiliantis, sed non adhuc justificantis.

Deus ergo promisit veniam vere contritis corde, non ut mercedem, & coronam, quomodo promisit gloriam: sed solum, ut donum liberale, promissione, qua se obligavit ex sua fidelitate, non ex vera, & stricta justitia.

X. Dices tertio. Licet prima gratia justificans sit principium meriti, potest cadere sub merito: sicut Verbi Incarnatio est principium totius meriti tam de condigno, quam de congruo: & tamen eam saltem de congruo SS. Patres meruerunt; ergo &c.

XI. Respondeo, neg. ant. Ad id, quod additur, dist. maj. Verbi Incarnatio, ut in intentione, est &c. co. ant. ut in executione, nego majorem. Et dist. min. Meruerunt eam, ut in executione ponendam, co. min. ut in intentione, nego min. Incarnatio igitur Verbi sumi potest, ut in intentione; & sic est primum principium meriti in genere causæ finalis, cujus proprium est, in intentione causare: & hoc modo non potest cadere sub merito alicujus. Et sumi potest, ut in executione: & sic non est principium, sed potius effectus meriti Sanctorum Patrum, qui illam de congruo meruerunt. Non repugnat autem, quod Incarnatio, ut in intentione apprehensa per fidem a Patribus, fuerit causa sui ipsius, ut in executione ponendæ: sicut fanitas in intentione causat se ipsam in executione. At gratia justificans in re, & in executione est principium meriti: si autem caderet sub merito, esset in eodem ordine executionis causa, & effectus meriti quod repugnat.

XII. Dico tertio. Esto in aliquo sensu dici posset, hominem per actus supernaturales, quibus se disponit ad gratiam, mereri de congruo gratiam justificantem: in propria tamen locutione eam neque de congruo meretur. Hanc viam teneo, ut conciliem etiam Nostrates inter se in hoc divisos. Prior ergo pars probatur. Tum quia: hoc videtur sentire S. Th. in 2. *dist.* 27. *q.* 1. *art.* 4. *ad* 4. ubi docet, quod *indignum* sumi potest *negative tantum: & sic Deus dat gratiam indignis, quia his, qui non sunt sufficienter ad hoc digni, sed tamen habent aliquam dispositionem ad recipiendum, ex qui dicuntur quodammodo ex congruo gratiam mereri: nec ex hoc sequitur: quod sit injustus, sed liberalis*.

XIII. Suaderi etiam potest. Quia actus fidei, spei, pœnitentiæ, & dilectionis, qui fiunt a Fideli, dum incipit a peccato vertere ad Deum, sunt legitimæ dispositiones ad gratiam justificationis, & remissionis peccatorum: eos facit Fidelis in obsequium Dei, & gloriam ejus; ergo congruum videtur, quod Deus tales actus acceptet ad finem, ob quem ab eo fiunt. Congruitate, inquam, non ratione operantis, sed ratione operum; quia ex gratiæ auxilio fiunt, & tendunt cum aliquali proportione velut præparationes ad gratiam justificantem: ideoque dicunt quamdam congruitatem ex parte operis. Quia videtur congruum, quod Deus inveniens in homine dispositiones ad gratiam, gratiam ipsam adjiciat.

XIV. Altera vero pars certior videtur. Nam ad meritum de congruo proprie tale debet congruitas se tenere etiam ex parte personæ operantis; quatenus congruum est, ut persona digna exaudiatur, & ergo eam Deus exerceat suam liberalitatem: hanc autem congruitatem, dispositiones præcedentes gratiam justificationis, in operante nondum grato Deo, supponere nequeunt; ideoque dicendæ sunt, gratiam imperrare potius, quam eam de congruo promereri. Et hoc magis cohæret Tridentino citato dicenti, quod nullus gratiam justificationis promeretur per tales dispositiones: & etiam indicavit S. Th. citatus in 2. *sent.* dum, esto dicat tales actus de congruo mereri gratiam, addit tamen particulam diminuentem *quodammodo*. Et S. Augustinus *lib. de Prædest. SS. cap.* 7. dum sit, quod fides *ipsa prima datur, ex qua impetrentur cætera*. Et *Epist.* 106. modo 186. *cap.* 3. ait: *Qui ergo habent fidem, qua impetrent justificationem, per Dei gratiam pervenerunt ad legem justitiæ*. Et Epist. 105. modo 194. ad Sixtum cap. 2. *Nec ipsa* (inquit) *remissio peccatorum sine merito est, si fide hanc impetrant*. Quid autem differt inter meritum, & simplicem impetrationem, diximus supra. Nam impetratio innititur puræ misericordiæ, quam Deus etiam erga hominem sibi non gratum exercet: meritum autem etiam de congruo est quodammodo amicabile supponens personam gratam. Unde D. Th. 2. 2. q. 83. art. 16. ad 2. *Peccator* (inquit) *non potest pie orare, quasi ejus oratio ex habitu virtutis informetur, potest tamen ejus oratio esse pia, quantum ad hoc, quod petit aliquid ad pietatem pertinens: sicut ille, qui non habet habitum justitiæ, potest aliquid justum velle .... Et quamvis ejus oratio non sit meritoria, potest tamen esse impetrativa: quia meritum innititur justitiæ; sed impetratio innititur gratiæ*.

§. III.

Resolvitur de Merito Primæ Gratiæ alteri.

XV. Dico quarto. Homo justus mereri non potest alteri primam gratiam, sive actualem, sive justificantem merito de condigno, bene tamen merito de congruo. Ita D. Th. hac *q.* 114. *art.* 6.

Prima pars ejusdem ratione probatur. Id homo potest de condigno mereri, ad quod divina motio illum movet per gratiam sanctificantem: sed homo per hoc donum gratiæ tantum movetur, ut perveniat ipse mediante augmento ad vitam æternam: nam per hoc, quod ipse per augmentum gratiæ perveniat ad vitam æternam, gratia illi data habet suum progressum, & terminum adæquatum, & merita ab ipso comparata adæquate sunt remunerata; ergo &c.

Confirmatur. Solus Christus hoc habuit, ut tamquam Caput Ecclesiæ aliis gratiam de condigno mereatur: *Hoc est non solum ut ipse perveniret ad gloriam vitæ æternæ; sed etiam, ut alios in eam adduceret, inquantum est Caput Ecclesiæ, & Auctor salutis humanæ, secundum illud ad Hebr.* 2. Qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis &c. Unde Jo. 1. v. 16. *De plenitudine ejus nos omnes accepimus*. Et Act. 4. v. 12. *Non est aliud nomen sub Cælo datum hominibus, in quo oporteat, nos salvos fieri*.

XVI. Immo: quamvis unus purus homo constitueretur a Deo caput aliorum, eique gratiam excellentissimam ad merendum pro omnibus conferret ad hunc finem; adhuc tamen non posset aliis mereri primam gratiam de condigno, sed solum de congruo: quia gratia illius hominis intrinsece non contineret gratiam aliorum hominum, sed solum extrinsece ex ordinatione divina. Quod enim gratia Christi gratiam omnibus de condigno promerita sit; hoc habuit, quia infiniti valoris ex infinita dignitate Personæ divinæ merentis, quod non haberet purus homo justus, quantacumque gratia exornatus: ideoque in *Tract. de Incarn.* dicemus, quod nec posset de condigno pro offensa aliorum satisfacere. Et quamvis gratia unius hominis æqualitatem, & condignitatem habeat cum gratia alterius in esse entis, & physico; non tamen in esse morali meriti, & præmii: quia nec ex vi propria, neque ex dignitate personæ gratiam alterius moraliter contineret.

XVII. Secunda vero pars, quod unus homo justus possit, alteri primam gratiam mereri de congruo, traditur etiam a S. Th. hoc *art.* 6. *Quia cum homo in gratia constitutus impleat Dei voluntatem, congruum est, ut Deus impleat hominis voluntatem in salvatione alterius, licet quandoque possit habere impedimentum ex parte illius, cujus aliquis Sanctus justificationem desiderat*. Et ratio est: quia meritum, maxime de congruo, est quidem sufficiens, non tamen efficax; cum possit impediri ex parte ejus, cui applicatur. In quo sensu loquebatur Jeremias cap. 15. v. 1. *Si steterit Moyses, & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum*.

XVIII. Confirmatur testimoniis S. Scripturæ. Nam Matth. 9. vers. 2. *Videns Jesus fidem illorum* (qui offerebant paralyticum) *dixit paralytico: confide fili: remittuntur tibi peccata tua*. Jac. 5. vers. 16. monemur orare invicem: ut salvemur: *Orate pro invicem, ut salvemini*. Et ut intelligeremus, orationem istam esse aliquomodo meritoriam, subjungitur: *Multum enim valet deprecatio justi assidua*. Huc etiam spectat illud 1. Jo. 5. v. 16. *Qui scit, fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei vita peccanti non ad mortem*. Id quoque exempla confirmant. Sauli conversionem impetravit Stephanus, dicente August. Serm. 4. de Sanctis, nunc Serm. 382. *Si Martyr Stephanus non sic oraffet, Ecclesia Paulum hodie non haberet*: suamque conversionem, Monicam matrem suam precibus impetrasse, testatur ipse *l.* 3. *Conf. c.* 11.

D U B I U M II.

An possit Homo sibi Mereri, ut reparetur post Lapsum?

§. I.

Resolvitur quoad Meritum de Condigno.

SEnsus Dubii est: An eo tempore, quo homo est justus, possit a Deo mereri, ut si contingat, ipsum labi in peccatum mortale, donetur ei pœnitentia, & venia; sicque restituatur in statum gratiæ, in quo erat prius.

I. Dico primo. Homo justus non potest de condigno mereri, ut si in peccatum labatur, detur ei venia, & restituatur in statum gratiæ. Ita S. Th. hac *q.* 114. *art.* 7. Et probat 1. ex illo Ezech. 18. v. 24. *Si autem averterit se Justus a justitia sua, & fecerit iniquitatem .... omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur*. Falsa autem foret hæc sententia, si quo tempore justus est homo, de condigno sibi mereretur reparationem post lapsum: quia sic Deus teneretur dare illi ex justitia gratiam reparatricem, & favorabilem, ac magnam habere operum prius factorum recordationem.

II. Probat autem S. Doct. hac ratione. Ratio meriti de condigno pendet ex motione divinæ gratiæ; sed ista motio interrumpitur, & amittitur per peccatum mortale sequens; ergo non potest se extendere ad merendam de condigno sui restitutionem post lapsum. Peccatum enim interpositum inter meritum, & præmium destruit in subjecto ordinationem ad præmium; facit enim subjectum transire de grato in ingratum, de digno in indignum: repugnat autem, subjectum indignum esse subjectum capax, & per se ordinari ad præmium. Etenim præmium bonorum operum non debetur homini, nisi quatenus est in statu gratiæ, per quam fit justus, & Dei amicus: atque dum statum illum perdat per peccatum mortale, nihil præmii restat ei debitum.

III. Confirmatur. Nam alioquin sequeretur, omnes, qui semel Justi fuerunt, & bene per longum tempus operati fuissent, etiamsi postea in peccata, etiam enormia, lapsi fuissent, jus habere ad gratiam habitualem sibi restituendam, saltem in fine vitæ: nec ullum eorum moriturum impœnitentem, & fore damnandum. Cum ergo Concilium Tridentinum ex Scriptura dicat, justificationem impii esse gratuitam; ita ut nihil eorum, quæ ipsam præcedunt, de condigno illam mereatur (*Sess. 6. cap.* 8.) dici debet, nullum mereri de condigno, ut si peccaverit, postea iterum justificetur.

IV. Dices. Justus prædestinatus, etsi post meritum sit lapsurus, de condigno meretur gloriam, & adhuc est ordinatus ad illam suo tempore sibi dandam; ergo & Justus in peccatum lapsurus, mereri poterit reparationem post lapsum.

V. Respondeo, neg. cons. Et disparitas duplex est. Prima: quia gloria nunquam datur indigno, sed semper ditur digno, per revivifcentiam gratiæ, & meritorum: sicque potest intelligi meritum gloriæ, etsi motio gratiæ interrumpatur. Cæterum reparatio post lapsum danda est indigno; ideoque motio gratiæ ad illam nequit se extendere. —— Secunda disparitas est: quod peccatum subsequens ponit quidem impedimentum actuali consecutioni gloriæ; non tamen destruit ordinem præcedentium meritorum ad gloriam, cum jus meritorium gloriæ maneat in acceptatione divina. At peccatum subsequens tollit etiam jus aptitudine ad gratiam, cum tollat gratiam; atque adeo tollit omnem rationem meriti ad præmium.

§. II.

Resolvitur de merito Congrui.

VI. Dico secundo. Nec merito congrui potest homo mereri, ut reparetur post lapsum. Ita S. Thom. citatus, etsi aliqui sentiant oppositum. Id tamen etiam evincit textus Ezechielis laudatus. Si enim post Justi lapsum omnes justitiæ ejus, quas fecerat, apud Deum non recordabuntur; quomodo manere poterunt in ratione meriti, ut congruum sit, hominem, qui ea fecerat, propter ea a lapsu reparari?

VII. Ratio D. Th. est. Meritum congrui, quo quis meretur alteri primam gratiam, impeditur, ne sortiatur suum effectum, si ille, cui meretur, obicem ponat; ergo multo magis impedietur, si impedimentum sit, in eo, cui meretur, & in eo, qui meretur. Si autem quis de congruo mereretur sibi, ut dum lapsus esset in peccatum, repararetur, jam impedimentum esset in eo, qui meretur, esset enim in peccato; & in eo, cui meretur, cum, ut supponitur, meretur sibi.

VIII. Confirm. Nemo meretur, ut tunc retributionem accipiat, quando erit indignus retributione; quod etiam de merito congrui verum est, quia fundatur in quadam dignitate personæ: sed cum Justus in peccatum mortale est lapsus, est indignus retributione; ergo nullo modo meretur, ut sibi in peccatum mortale lapso detur, tamquam retributio quædam, gratia, qua reparetur.

IX. Adverto tamen; quod cum, ex sæpe dictis, meritum congrui sumi possit stricte, & proprie; vel lato modo, ac improprie, prout dicit puram & simplicem impetrationem fundatam in sola munificentia, & liberalitate donantis: si hoc, & nihil aliud intendunt Adversarii, libenter eis concedi posset, Justum mereri posse, ut reparetur post lapsum merito congrui, seu verius, hoc impetrare a misericordia Dei. Sed si sumant meritum congrui stricto modo, constanter negandum est. Nam hoc fundari debet in aliqua bona qualitate operis, habente proportionem congruitatis cum retributione; & insuper debet esse tale opus, ut sit quoddam obsequium ita utile, & gratum ei, apud quem valet; ut si quid intuitu hujus operis datur, detur per modum alicujus recompensæ, vel retributionis, saltem gratuitæ, & liberalis: sic, ut Justo in peccatum lapso, per modum aliqualis retributionis, daretur gratia ad pœnitentiam, & tandem justificatio. At opera Justorum, etsi sint bona, & in obsequium Dei facta, non habent tamen proportionem ad aliquam recompensationem tunc recipiendam, quando ipsi fuerint omni retributione prorsus indigni; quales sunt, dum in statu peccati, & damnationis existunt. —— Nec valet, quod eorum bona opera maneant in divina acceptatione: quia enim sunt mortificata, non consequentur mercedem, nisi ipsi ad justitiam reparentur, & sic eorum opera vivificentur. Ut autem reparentur, cadere non potest sub merito.

D U B I U M III.

An Homo Justus possit sibi mereri Augmentum Gratiæ, & Charitatis, & hoc de Condigno.

§. I.

Resolutio Catholica.

I. Dico. Homo justus per bona opera, & observantiam mandatorum Dei, de condigno meretur augmentum gratiæ, & charitatis. Hoc docuit Trident. *Sess. 6. cap.* 10. Et *Can.* 32. ubi anathemate feritur, qui dixerit: *Justificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, & Jesu Christi meritum, cujus vivum membrum est, fiunt, non vere mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratia decesserit, consecutionem, atque etiam gloriæ augmentum*. Quem Canonem statuit contra Lutherum, qui cum diceret, omnia opera hominis, etiam justi, esse in se peccata, & solum justa apparere, quia justitia Christi extrinsecus illis imputata vestiuntur; Christi autem justitia incapax augmenti non sit, consequens erat, ut negaret, nedum omne meritum, sed omne gratiæ augmentum. Esto autem Concilium non expresse ibi affirmet, hominem justum mereri augmentum gratiæ de condigno; id tamen se intendere satis indicat, Tum apponendo ly *vere*, Tum eodem modo loquendo de merito augmenti gratiæ, ac de merito vitæ æternæ; quod certum est, esse de condigno, juxta mentem Concilii. Tum quia: meritum de condigno illud erat, quod hæretici negabant.

II. Variis Scripturæ textibus hanc veritatem ostendit Trid. *Sess. 6. cap.* 10. Ut illud Apoc. v. 11. *Qui Justus est, justificetur adhuc*. Et Jacobi 2. v. 21. &c. *Abraham Pater noster nonne ex operibus justificatus est, offerens Isaac filium suum?* Unde de augmento justificationis sermo est: Abraham enim ante erat justus per fidem, qua dicitur, Genes. 15. *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad justitiam*. Et Rom. 4. v. 9. *Reputata est Abrahæ fides ad justitiam*. Unde v. 22. Jacobus prosequitur: *Vides, quoniam fides cooperabatur operibus illius, & ex operibus fides consummata est .... Videtis, quoniam ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantum?* Et Aug. Ep. 106. modo 186. ad Paulinum c. 3. *Ipsa* (inquit) *gratia meretur augeri, ut auctæ mereatur perfici*.

III. Ratio autem S. Th. hac *q.* 114. *art.* 8. hæc est: Illud cadit sub merito condigni, ad quod merito gratiæ se extendit: sed motio gratiæ se extendit ad augmentum gratiæ; ergo &c. Min. pr. *Motio alicujus moventis non solum se extendit ad ultimum terminum motus, sed etiam ad totum progressum in motu. Terminus autem motus gratiæ est vita æterna. Progressus autem in hoc motu est secundum augmentum charitatis, vel gratiæ, secundum illud Prov.* 4. Justorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit usque ad perfectum diem, *qui est dies gloriæ, sic igitur augmentum gratiæ cadit sub merito condigni*. Hæc S. Thom.

§. II.

Objectionum absolutio.

IV. Objicies primo. Uni merito non respondet duplex præmium: sed merito gratiæ respondet gloria ut præmium: ergo non potest ei respondere augmentum gratiæ.

V. Respondeo, dist. maj. Quorum utrumque sit terminus meriti, conc. maj. Quorum unum sit medium ad alterum, ut ad terminum, neg. maj. & dist. min. neg. cons. *Præmium* (inquit S. Th. hoc art. ad 1.) *est terminus meriti. Est autem duplex terminus motus, scilicet, ultimus, & medius, qui est & principium, & terminus. Et talis terminus est merces augmenti*. Qui autem meretur augmentum gratiæ, illud ordinat ad augmentum gloriæ, ut ad terminum, & finem.

VI. Secundo respondeo cum eodem S. Th. *in* 2. *dist.* 27, *quæst.* 1. *art.* 5. *in cap. & ad* 3. quod duplex est præmium. Unum quod consequitur, & concomitatur naturam actus meritorii quæ est, ut sui exercitio augeat, & perficiat habitum. Alterum est, quod exterius redditur, secundum proportionem actus. Hoc secundum excludit aliud præmium, non autem primum. Nam *sicut per hoc, quod aliquis delectationem ex actu virtutis sentit, non amittit vitæ æternæ præmium, cum non sit eadem ratio præmii utrobique: ita etiam per hoc, quod actum meritorium sequitur augmentum gratiæ, non impeditur remuneratio, quæ consistit in adoptione gloriæ*. Ita D. Th. citato loco *ad* 5.

VII. Objicies secundo. Gratia prima, & ejus augmentum sunt ejusdem rationis: sed gratiam primam nullus potest mereri de condigno, ut vidimus; ergo nec ejus augmentum.

Confirm. ex iisdem principiis, ex quibus aliquid innascitur, & augmentatur: cum igitur principium gratiæ sub merito non cadat, videtur, quod nec augmentum ejus.

VIII. Resp. neg. cons. Quamvis enim gratia, & ejus augmentum sint ejusdem rationis, ejusdem tamen rationis, nec est eadem conditio subjecti. Nam is, qui meretur augmentum gratiæ, est Justus, & amicus Dei; ac proinde in statu, in quo mereri possit de condigno. Qui autem ad primam gratiam se disponit, in quantum talis, nondum est Justus, nec Dei amicus; sicque deest illi status, qui ad merendum de condigno est necessarius.

IX. Ad Confirm. eodem modo respondeo ex D. Th. in 2. dist. 27. quæst. 1. art. 5. ad 3. *Quod tam augmentum gratiæ, quam etiam ipsius infusio est a Deo. Sed tamen aliter se habent actus nostri ad infusionem gratiæ, & augmentum ipsius. Quia*

ante infusionem gratiæ homo nondum est particeps divini esse: unde actus sui sunt omnino improportionati ad merendum aliquod divinum, quod facultatem naturæ excedat. Sed per gratiam infusam constituitur in esse divino: unde jam actus sui proportionati efficiuntur ad promerendum augmentum, vel perfectionem gratiæ. —— Non quidem *quasi ipse gratiam sibi augmentet, cum augmentum gratiæ a Deo sit. Sed quia homo potest per gratiam acceptam augmentum gratiæ mereri, disponendo se, ut majoris gratiæ capacior fiat.* Ita S. Th. ibi *ad 4.*

X. Objicies tertio. Radix meriti est gratia, vel charitas: sed efficacia merendi non potest excedere suam radicem; ergo nullus potest majorem gratiam, vel charitatem mereri, quam habeat.

XI. Respondeo primo, dist. min. Excedere in virtute suam radicem, co. min. in quantitate, nego min. Ut enim docet D. Th. hac q. 114. art. 8. ad 2. *Augmentum gratiæ non est supra virtutem præexistentis gratiæ, licet sit supra quantitatem ipsius, sicut arbor, etsi sit supra quantitatem seminis, non est tamen supra virtutem ipsius.*

XII. Respondeo secundo cum eodem S. Th. in 2. dist. 27. q. 1. art. 5. ad 1. *Quamvis* enim *præmium, quod quis meretur, sit majus, quam gratia, qua meretur; non tamen sequitur, quod sit major efficacia merendi in actu, quam exigat gratia informans actum. Constat enim, quod per actum meritorium charitate informatum meretur quis charitatem perfectam, qualis est charitas Patriæ, quæ longe major est charitate via, elicienre actum meritorium. Cum enim dicitur, quod efficacia merendi in actu meritoria, respondet quantitati gratiæ; non intelligitur commensuratio quantitatis primi ad principium merendi secundum æqualitatem, sed proportionalitas quædam actus meritorii ad principium merendi: quia quanto charitas, & gratia major est, tanto contingit per actum meritorium majus præmium mereri.*

XIII. Nec tamen hinc inferas, cuilibet actui meritorio statim respondere augmentum gratiæ. Nam (ut ait S. Th. hac q. 114. art. 8. ad 3.) *Quolibet actu meritorio meretur homo augmentum gratiæ, sicut & gratia consummationem, quæ est vita æterna. Sed sicut vita æterna non statim redditur, sed suo tempore: ita nec gratia statim augetur, sed suo tempore, cum scilicet aliquis fuerit dispositus ad gratiæ augmentum.*

XIV. Neque etiam inferas, quemlibet actum esse de facto meritorium augmenti gratiæ. Nam, ut docet S. Th. in 2. dist. 27. q. 1. art. 5. ad 2. *Quando actus meritorius se habet ad præmium, solum in ratione meriti, tunc verum est: sicut quis per unum actum ejusdem rationis meretur præmium, ita & per alium. Secus autem est, quando actus meritorius se habet ad præmium, non solum ut meritum, sed quodammodo ut causa: & sic se habet actus meritorius ad augmentum gratiæ. Unde non oportet, quod quilibet actus meritorius augmentum gratiæ mereatur; quia non in quolibet actu meritorio invenitur illa conditio, per quam ex actu consequitur augmentum habitus: sed solum in illo actu, quo quis utitur accepta gratia secundum proportionem suarum virium, ut in nullo gratia Dei deficit per negligentiam.*

§. III.

Duæ Quæstiones Resolvuntur.

XV. Quæritur primo: An quo persona est magis Deo grata, eo, cæteris paribus, majus præmium de condigno mereatur, ita ut, si duo faciant idem opus per omnia æquale, unus tamen sit altero dignior, seu sanctior; ille magis mereatur, quia majorem habet dignitatem, seu sanctitatem.

XVI. Respond. sententiam affirmativam videri probabiliorem. Dummodo tamen in opere personæ dignioris concurrant cætera ad meritum requisita, & præcipue imperium charitatis, non pure habituale, sed vel actuale, vel virtuale: ita ut ex duobus æquali charitatis influxu operantibus, ille, qui habitualiter Deo est magis gratus, & amicus, majus præmium a Deo mereatur, non solum de congruo, sed etiam de condigno.

XVII. Et quidem personam magis Deo gratam æquali charitatis influxu operantem facilius impetrare, & magis, saltem de congruo, mereri, patet ex *Gen.* 20. de Abraham. *Exodi* 17. de Moyse, & alibi. *Josue* 10. de ipsomet. 1. *Reg.* 7. de Samuele. *Dan.* 3. de Abraham, Isaac, & Jacob. Et ratio est: quia opera, & obsequia amicorum sunt gratiora, quam aliorum, & magis defertur petitionibus eorum, qui sunt magis intimi.

XVIII. Quod autem major dignitas personæ conducat etiam ad majus merendum de condigno, æquali opere, probatur. Tum quia ex dictis status gratiæ est una ex conditionibus ad meritum de condigno requisitis; cum dignitas filiorum Dei evehat opera, quæ per gratiam Dei operantur, ad condignitatem vitæ æternæ. Tum quia: cum actiones sint suppositorum, idest non considerentur quasi nude, & per se, sed ut profecta a suppositis, seu personis; eo ipso, quod persona aliquam actionem facit in obsequium alterius, non tantum offert suam actionem, sed & quomodo seipsam, & sua obsequia dedicat. Qua ratione cum dignitas Personæ in Christo esset infinita: & hanc in operibus Humanitatis Christus exhiberet Patri, operationes Christi erant dignitatis infinitæ. Si ergo dignitas personæ confert ad dignitatem operis, non video, cur major personæ dignitas non conducat, cæteris paribus, ad majus meritum, etiam de condigno.

XIX. Nec valet opponere, quod dignitas Personæ in Christo erat substantialis, in nobis est accidentalis —— Nam hæc differentia non videtur obstare, servata tamen proportione. Quia si dignitas substantialis Personæ influebat in actiones Humanitatis Christi finitas meritum infinitum; ergo dignitas personæ influit ad meritum, ergo quo major erit personæ dignitas, eo majus, cæteris paribus, erit meritum, etsi dignitas sit accidentalis. Regia enim dignitas est quid accidentarium, & tamen nemo dubitat, quin Regis actiones pluris æstimentur, quam unius de infima plebe.

XX. Neque dicas: si peccatum, quod committitur a persona viliore non meretur ex hoc majus supplicium; ergo nec bonum opus, quod fit a persona dignior, meretur majus præmium. —— Nam vilitas personæ non auget peccatum, nam ex hac nullam trahit circumstantiam, quæ illud aggravat: illud tamen auget dignitas personæ peccantis, hæc enim, cæteris paribus, aliquid addit peccatum gravificans. Eadem ergo ratione dignitas personæ dignificabit bonum opus, ut mereatur majus præmium: quia omnibus pensatis est melius, & gratius.

XXI. Nec obstat, Deum reddere unicuique secundum opera sua —— Nam hoc intelligitur de operibus secundum omnes suas circumstantias, inter quas una est personæ dignitas coram Deo. Hoc enim ipso, quod Deus promisit præmium iis, qui fuerint in statu gratiæ, & ita condignitatem habeant ad illud; recte colligitur, promisisse majus præmium habentibus per gratiam excellentiorem majorem condignitatem.

XXII. Quæritur secunda: An opus, quod homo justus facit ex gratia Christi, magis sit meritorium, quam esset, si æquale opus fieret ex gratia æqualis gradus, sed non data ex Christi meritis?

XXIII. Respondeo, probabiliorem esse partem affirmativam. Tum quia: credibile est, Patrem æternum particulariter respicere ad merita Christi; ut ejus intuitu majorem nobis largiatur vim merendi, quam sine eo dedisset. Tum quia: Justi modo operantur tamquam viva membra corporis hujus, cujus caput est Christus; ideoque, ut Christo conjuncti, censentur majorem aliquam dignitatem participare, quam alioquin non haberent. Unde ait Paulus, *Rom.* 5. *v.* 20. & 1. *ad Tim.* 1. *v.* 14. quod per Jesum Christum *Superabundavit gratia.* —

XXIV. An vero dici possit, quod cum meremur, bene operando, ipse Christus in nobis mereatur, sicut Spiritus Sanctus dicitur loqui in nobis, *Matth.* 10. *v.* 20. & alibi. —— Responsio ex modo explicandis pendet. Si enim fiat sensus, Justos non mereri, sed solum Christum, sensus hæreticus est; quia, ut ostendimus, fidei dogma est, Justos proprie mereri. Si sensus sit: quod Christus sit causa principalis nostrorum meritorum, quodque omne nostrum meritum ex ipso fit, neque ullum meritum sine ejus gratia in nobis sit, verissime dicitur.

Similiter si dicatur, Christus mereri in nobis: quia cum simus ejus viva membra, actiones membrorum, ut talium, tribuantur ipsi, ut capiti; ab aliquibus admittitur: rectius tamen diceretur, nos mereri in Christo.

Si tandem sensus fiat, Christum mereri in nobis, quia ipse, vel sibi, vel nobis per nostras actiones acquirat mercedem (quod est proprie mereri) sic non meretur nobis, cum sit extra statum merendi.

DUBIUM IV. & Ultimum.

Utrum Homo possit Perseverantiam Mereri.

§. I.

Resolutio Dubii.

I. Sermo est de perseverantia actuali, seu de magno illo perseverantiæ dono, quo homo realiter, & cum effectu in gratia usque ad finem vitæ persistit; seu statum gratiæ cum morte conjungit; de quo in *Tract. de Necessitate Gratiæ*, superius actum est. Et sermo est de perseverantia viæ: nam de perseverantia Patriæ docet Sanct. Thom. hac *quæst.* 114. *art.* 9. posse hominem eam mereri, etiam de condigno. Nam ultimus terminus divinæ motionis potest cadere sub merito de condigno: sed perseverantia Patriæ ad illum pertinet; cum de ratione beatitudinis, ac vitæ æternæ, quæ est ultimus terminus motionis divinæ, sit perpetuitas, ut ostendimus *Tom.* 1. *in* 1. 2. *Tr. de Ultimo Fine*, *Quæst.* 2. *Dub.* 7. ergo &c. Quare sicut homo potest mereri de condigno vitam æternam, ita mereri potest perseverantiam in illa. De perseverantia ergo viæ,

II. Dico. Perseverantiam viæ nullus homo de condigno mereri potest. Ita S. Thom. *art.* 9. citato, & omnes Catholici. Probatur hoc discursu S. Th. illud non potest cadere sub merito de condigno, quod comparatur ad motum liberi arbitrii, ut a Deo movente directi, tamquam principium; quia principium meriti non cadit sub merito: atqui perseverantia viæ comparata ad motum liberi arbitrii nostri, tenet se ex parte principii; quia perseverare includit continuum Dei auxilium, Justum in justitia conservans, movens, ac dirigens ad continua pietatis opera, & maxime in ultimo vitæ; ergo eam mereri non potest de condigno.

III. Confirmatur. Id, quod cadit sub merito, est effectus meriti: sed principium motus liberi arbitrii a Deo directi est causa meriti; nec potest unum, & idem simul esse causa, & effectus ejusdem meriti.

IV. Probatur secundo, ex eodem S. Th. ibi in *Arg. sed contra*. Sic Omne, quod quispiam apud Deum meretur de condigno, infallibiliter consequitur, nisi ponat impedimentum peccati: sed multi habent opera meritoria, qui non consequuntur

quuntur perseverantiam; ergo &c. *Nec potest dici, quod hoc fiat propter impedimentum peccati; quia hoc ipsum, quod est peccare, opponitur perseverantiæ; ita quod si aliquis perseverantiam mereretur, Deus non permitteret, illum cadere in peccatum.* Cum ergo viri tota fere vita multa atque excellentia virtutis opera patrarunt, multaque pro Christo sustinuerunt; in fine tamen donum perseverantiæ non acceperint, ut constat in Origene, & aliis: dici debet, donum perseverantiæ non cadere sub merito de condigno.

V. Probatur tertio. Nullus a Deo mercedem meretur de condigno, quam ipse non promisit: non inventur autem, promisisse usquam, quod bene operantibus dabit in hoc seculo perseverantiam: quin potius monentur omnes: *Servite Domino in timore.* (Psalm. 2. vers. 11.) Et (1. Cor. 10. v. 12.) *Qui se existimat stare, videat, ne cadat.* Ad Philipp. 2. v. 12. *Cum metu, & tremore vestram salutem operamini.* Et Christus voluit, ut omnes, nemine excepto, orent, ac petant: *Et ne nos inducas in tentationem*; igitur &c.

VI. An vero possit quis donum perseverantiæ mereri saltem de congruo: dico, quod si meritum de congruo sumatur stricte, non potest illud mereri; cum nemo, nec de congruo, possit mereri principium meriti, qualia sunt principia ad actu perseverandum. Si vero meritum de congruo sumatur lato modo, pro simplici impetratione; sic orando potest Justus a Dei misericordia perseverantiæ donum impetrare: sicut supra diximus, posse hoc modo etiam gratiam justificantem a Deo impetrare, quia impetratio in sola misericordia fundatur.

VII. Adverto tamen: quod si nomine perseverantiæ sumatur tota series, & collectio auxiliorum ab initio primæ justificationis usque ad mortem, sic perseverantia nequit cadere sub merito, nec sub impetratione; quia totum meritum, & impetratio est effectus alicujus auxilii in illa collectione contenti, quod est principium meriti, vel impetrationis: principium autem meriti, vel impetrationis nequit cadere sub merito, vel impetratione proveniente a tali principio. Unde in præsenti locuti sumus de perseverantia, quatenus præcise includit conjunctionem gratiæ cum morte; quam si non mereri neque de congruo possumus, possumus tamen, nostris orationibus impetrare.

§. II.

Objectiones Solvuntur.

VIII. Objicies primo. Justus potest de condigno mereri vitam æternam; ergo etiam illa, quæ ad eam consequendam sunt necessaria: inter quæ præcipuum est donum perseverantiæ.

IX. Resp. dist. conf. Etiam illa, quæ se tenent ex parte termini motus, con. conf. quæ se tenent ex parte principii motus, nego conf. Perseverantia ergo se tenet ex parte principii merendi ut dictum est: principium autem merendi nequit esse effectus meriti.

Sed præterea observo: quod perseverantia non est necessaria ad vitam æternam merendam, sed tantum ad vitam æternam consequendam, Justi autem, etsi absolute mereantur vitam æternam, vitæ tamen æternæ consecutionem non merentur absolute, sed *si in gratia decesserint*, ut ex Trid. *Sess.* 6. *cap.* 16. & *Can.* 32.

X. Objicies secundo. Potest Justus alteri mereri perseverantiam; ergo & sibi.

Resp. dist. ant. Merito de condigno, & de congruo proprie tali nego ant. lato modo, nempe, impetrando, conc. antec. & conseq. Responsio est D. Th. hoc *art.* 9. *ad* 1. verbis: *Etiam ea, quæ non meremur, orando impetramus. Nam & peccatores Deus audit peccatorum veniam petentes, quam non merentur . . . . aliquin frustra dixisset Publicanus:* Deus propitius esto mihi peccatori, *ut dicitur Luca* 18. *Et similiter perseverantia donum aliquis potendo a Deo impetrat, vel sibi, vel aliis, quamvis sub merito non cadat.*

XI. Objicies tertio. Justus potest sibi mereri de condigno augmentum gratiæ, ut credimus; ergo etiam perseverantiam in gratia.

Respondeo, conc. ant. neg. conseq. Nam augmentum gratiæ, sicut & perpetuitas, quæ est de ratione beatitudinis, habens se ad meritum, ut terminus; ista quidem, ut ultimus, seu ut pertinens ad ultimum, illud autem ut proximus: & ideo possunt cadere sub merito. Donum autem, quo Deus faciat, Justum continue in bono perseverare, pertinet ad causam, & principium meriti, & non est ejus terminus: cum continuatio motus, & motio moventis, facientis ut motus continuetur, non sit terminus motus, sed ad ejus principium pertineat.

XII. Objicies quarto. Justus per unum, vel plura bona opera, potest mereri unum aliud opus bonum subsequens, seu auxilium efficax ad illud faciendum. Rursus: per illud opus subsequens potest mereri auxilium efficax ad aliud: per istud aliud: & sic usque ad mortem; ergo potest mereri perseverantiam.

XIII. Respondeo, neg. antec. Non enim potest justus per actum præteritum, sive in præsenti factum, de condigno mereri aliquod auxilium efficax, sequenti tempore dandum pro alio actu faciendo. Gratia enim, quam Deus solet in hoc seculo impertiri, non habet vires ad merendum id, quod se tenet ex parte principii merendi: nec inter actus priores, ac posteriores, vel inter auxilium prius datum, & posterius dandum, nec per se, nec ex divina promissione datur ordo meriti ad mercedem.

XIV. Objicies quinto. Peccator potest mereri obstinationem in malo; ergo & Justus perseverantiam in bono.

Respondeo, neg. conf. Quamvis enim homo gratiam possit demereri, obstaculum ei ponendo; eam tamen non potest accersere, & mereri: sicut homo potest quidem a se avertere lumen Solis, illud tamen ad se advocare non potest. Deinde ad ant. dico, nullum in hac vita secundum ordinariam providentiam esse omnino obstinatum, sic ut non possit a peccato recedere; quamvis mereatur, ut Deus illum in peccato relinquat: quia peccatum mortale ex natura sua dignum est pœna æterna.

XV. Objicies tandem. Justus potest mereri spiritum orandi, sicut oportet, pro perseverantia: sed qui petierit, sicut oportet, infallibiliter consequetur, juxta illud: *Petite, & dabitur vobis*, Matth. 7. v. 7. ergo &c.

XVI. Resp. neg. maj. Non enim apparet, Justum mereri posse de condigno spiritum orandi, sicut oportet, pro perseverantia: cum ad orandum, sicut oportet, pro perseverantia, necessaria sit oratio perseverans: orationis autem perseverantia non est proposita, ut merces proprie dicta præcedentium orationum, vel operum. Si tamen non sit sermo de merito condigni, sed congrui late sumpti, seu de simplici impetratione; sic, ut dictum est, Justus impetrare potest bonis operibus spiritum orandi pro perseverantia, & orando perseverantiam ipsam; & in hoc sensu dicit S. Aug. l. de dono Persev. c. 6. *Hoc Dei donum supplicitter emereri potest.* Immo ad illud obtinendum, totam fere orationem Dominicam tendere ostenderat capitibus præcedentibus: sed impetrare non esse proprie mereri, etiam de congruo, est dictum sæpe. Quapropter incessanter Deus a nobis orandus est, ut & spiritum orandi, sicut oportet, pro perseverantia nobis concedat, & perseverantiam ipsam miserieorditer largiri dignetur: ut enim docet Augustinus citatus, capit. 1. *Utrum quisque hoc munus acceperit, quamdiu hanc vitam ducit, incertum est.* His ergo præsenti Tractatui, ac universæ Primæ Secundæ Angelici nostri Doctoris terminum figimus.

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.

VIRTUTES Theologicæ dicuntur illæ, quæ immediate respiciunt Deum, prout humanam, & naturalem superat cognitionem. Et propterea non nostris actibus acquiruntur, sed a Deo solo infunduntur: & earum notitia, non humano ratiocinio, sed Sacræ Scripturæ magisterio comparatur, & hominem Christianum a non Christiano distinguunt. Tres autem communiter numerantur: FIDES, SPES, ET CHARITAS. Has ergo investigandas cum S. Thom. 2. 2. a quæst. 1. ad 44. suscipimus, de præcipuis quæstionibus, quæ circa eas agitari solent, sermonem instituentes. Prius autem agemus de fide, quæ cæteris, ordine saltem generationis, præit: non enim in Deum auctorem gratiæ sperare, eumque diligere possumus, nisi illum, talem esse, cognoscamus, & credamus.

TRA-